



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Pars III. de Substantia, fine, & officio vitæ actiuæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Isidor. 3.
sent. c. 15.
num. 10.

redeunt. Aspectus eorum quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Nam ad se accedentes, luce veritatis illuminant, & ex ipso sanctitatis inflammant. Hæc est visio discurrens in medio eorum, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Splendor ignis spiritus diuinus est, qui in istorum cordibus commoratur, & desideriorum fulgura iactat. Et ea, quæ ad vana, & secularia non redeunt, eunt, & reuertantur, quia iam ad secreta contemplationis properant, iam ad labores actionis festinant, nunc charitatis zelo permoti, nunc carnis propriæ imbecillitate coacti. Vnde Isidorus: Visio animalium in Ezechiele, quæ ibant, & non reuertebantur, pertinet ad vitam actiuam perseuerantiam, & iterum, ea animalia, quæ ibant, & reuertebantur, pertinent, ad contemplatiuam vitam mensuram, in qua dum quisque intederit, sua re-

uerberatus infirmitate reflectitur, atque iterum renouata intentione ad ea, vnde descenderat, rursus erigitur. Eunt, & reuertantur, non vtrumque, sed in similitudinem fulguris coruscantis. Nam in nocte huius vitæ, non segniter, sed ardeat feruore spiritus contemplationis suauitatem, & actionis fructum exquirunt. Hæc omnia satis copiose, & prolixè prosequitur Sanctus Gregorius. In his igitur animalibus Apostolicum institutum adumbratum est, quod ex vtraque vita, actiua, & contemplatiua coalescens, in aliam vitam multo præstantiorem, & duas priores comprehendentem euehitur. Cuius perfectio, neque est solum bona opera facere, neque solum in Dei contemplationem incumbere, sed vtrumque munus perfectè, cum malatèque præstare. Et de harum vitarum imaginibus dictum sit satis.



PARS TERTIA

De substantia, fine, & officio vitæ actiuæ.

IAM à figura ad rei substantiam transitum facimus, vt tres vitas spirituales actiuam, contemplatiuam & mistam in se ipsis declaremus. In qua tractatione primò substantia cuiusque vitæ consideranda est, deinde finis, in quem tendit, postea actiones, quarum præsidio finem consequitur, ac tandem ad quos quasi ex instituto qualibet istarum trium vitarum spectet.

In quo consistat vita actiua.

CAPVT XXI.



HACTENVS tres vitas spirituales vidimus per speculum, & in ænigmate, nunc easdem in se ipsis, & quasi facie ad faciem videamus. Nec timendum est, nobis euenturum, quod adolescentibus solet accidere, qui cum imaginem virginis sibi in coniugium promissa conspiciunt, quia mentitur venustatem, quam illa non habet, eius amore ac desiderio flammantur, at ipsius præsentiam, & copiam adepti, amor conceptus in tepest, quoniam minorem pulchritudinem, eaque agresti ingenio, prauisque sedatam moribus inuenerunt. Hoc, inquam, non eueniet nobis, quoniam cum istarum vitarum facies viderimus, earumque consuetudinem acquiserimus, sine vlla comparatione, maiorem, tum morum suauitatem, tum præsentiam venustatem, reperiemus, quam imago, licet culta, & formosa, non attigit. A vita ergo actiua incipiendum est, quia prior est aliis, & ordine temporis, & consequendi desiderio. Prius enim hæc appetenda, & querenda est, quam Deus fecit veluti primum gradum scæle cælestis, & quasi totius vitæ spiritualis infantiam, sine qua, nullus, neque ad vitam contemplatiuam iuentam, neque ad ætatem virilem mistæ vitæ, perueniet. Omnis enim spiritualis vita à susceptione Domini in proprium cor, sumit sui cursus exordium. Martha autem, quæ typus actiuæ vitæ est, Dominum hospitio suscepit. Maria verò, quæ vitam contemplatiuam signat, ad pedes Domini, iam in propriam domum admissi prouoluta, quiescit. Vnde optimè Bernardus: Sed prior natu

Luc. 10.
39.
Bern. ser.
3. de as.
sumpt. in
principio.

A Martha videtur, & salutis initium sibi magis actio, quam cõtemplatio noscitur vèdicare. Laudat Christus Mariam, sed à Martha suscipitur. Amat Rachel Iacob, sed Lia supponitur ignorantia. Si de stude queritur, audiatur, non esse consuetudinis, vt iuniores prius tradantur ad nuptias. Quod si luteam hanc cogites domum facile erit nosse, quemadmodum in ea Dominum Martha magis excipiat, quam Maria. Quod enim ait Apostolus: Glorificate, & portate Deum in corpore vestro, Martha dicitur, non Maria. Hæc nimirum corporis vtitur instrumento, cum illi potius sit impedimento. Denique corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitatem. Nūquid & operantem? Martha igitur in domum suam excipit Saluatorem in terris; Maria potius cogitat, quemadmodum suscipiatur ab eo in domo non manu facta, æterna in caelis. Ex quo liquet, primo loco vitam actiuam in tractationem esse vocandam, quæ in cœlum properantibus hospita primò se offert, atque hilari vultu, & serena facie eos in domum suam excipit.

C Actiua igitur vita est, illud vitæ spiritualis institutum, quo homo studiosis actionibus ex professo vacat, vt se ad contemplationem veritatis, & amoris perfectionem disponat. Hæc enim vita (vt ipsum nomen præ se fert) actionem respicit, illam scilicet, quam philosophi praxim appellant, cum verò actio praua ad eam non pertineat, quippe quæ cum vita spirituali nihil commercij habet; manifestum est, quia studiosis tantum actionibus vacat ex virtute profectis. Has autem ex instituto suscipit, vt homo se ad contemplationem præparet. Siue, quia re vera hunc finem in omni externo opere sibi præsi

Genes. 29.
26.

1. Cor. 6.
20.

Sapient. 9.
15.

præsi

præfigit, vt aptus sit in Dei omnipotentis familiaritatem, ac consuetudinem admitti; siue, quia studiosa opera etiam tantæ dignitatis oblitum, & de hoc sine nihil cogitantem, natura sua aptum ad diuinas res contemplandas, & ignem diuini amoris suscipiendum, efficiunt. Scriptum est enim in Psalmo: Quis ascendet in montem Domini: aut quis stabit in loco sancto eius? Cui interrogationi ipsa veritas summa respondet: Innocens manibus, & mundo corde, qui non accepit in vano animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo: Hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo salutari suo. Mons iste Christus homo est, de quo dixit Isaias: Venite, & ascendamus ad montem Domini, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Locus huius montis, Verbum diuinum est, in quo humanitas sustentata consistit. Nam Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Benedictio, gratia contemplationis est, quoniam eam cupiens iustus, tamquam alter Iacob luctatur cum Deo, neque ipsum dimittit, donec benedicat sibi. Misericordia ignis charitatis est, quem Dominus in corde pauperis miseratus accendit, vt omnes eius miseras paupertatesque consumat. Ille igitur ad montem Christum per contemplationem ascendit, ille in diuinitate eius per amorem requiescit, ille aptus efficitur hanc amplam benedictionem, & eximiam misericordiam suscipere, qui in operibus innocentiam tenet, & in cogitationibus munditiam seruat; qui vitam suam rebus inanibus & transitoriis non deputat, & ab iniuriis proximorum abstinet: quæ omnia munera sunt vitæ in actione constituta.

Est etiam vita actiua illa viri spiritualis occupatio, quæ peccata deslet: affectus moderatur: bella tentationum dissoluit: proximos in rebus corporalibus, & spiritualibus iuuat: omniumque virtutum moralium functiones exercet. Ad quam Dominus per Isaiam iustos permouet, dicens: Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? Se ipsum (vt notat Hieronymus) ignem, & ardorem appellans: ignem quidem hypocritas deuorantem, ardorem impios, & peccatores vrentem: Sed iustos, & in veritate ambulantes, benignè fouentem, & mirabiliter illuminantem. Huic autem dubitationi, ille, qui summa veritas est, ita respondet, vt eum secum habitaturum astruat, qui vitæ actiuae præstat actiones. Qui ambulat in iustitiis, (inquit) & loquitur veritatem, qui proicit auaritiã ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem; & claudit oculos suos, ne videat malum. Et iterum alio loco per eundem prophetam iisdem actiuae vitæ operibus, gratiam, fortitudinem, ac felicitatem perpetuam promittit. Dissolue (ait) colligationes impietatis, hoc est, multitudinem peccatorum te colligantium: solue fasciculos vitiorum deprimentes; dimitte eos, qui contracti sūt, liberos, & omne onus, quo imbecillos opprimebas, dirumpe. Frange esurienti panem tuum, doctrinæ, quæ abundas, & egenos, vagosque, quia nemo eos ad Christum vocauit, induc verbo prædicationis in domum Ecclesiæ, quam Dominus, sua benignitate, fecit tuam. Cum videris nudum virtutibus, operi eum, & carnem tuam, id est, proximos tuos, ne despexeris. Nā si in his te exercueris operibus, tunc erumpet quasi mane lumen tuum, gratia scilicet diuina tibi concessa, quæ tenebras peccatorum dispellit; & sanitas tua citius orietur: vt qui minus potes eras ad implenda diuina mandata, iam facilli-

A mē Dei tui in omnibus exequatis voluntatem. Et anteibit faciem tuam iustitia tua, vt tamquam iustus, & Deo acceptus, non vanis, sed veris laudibus efferris. Tandemque gloria Domini colliget te, illa sanè gloria, quam paratam habet timentibus se.

Magna vita, cui tam ingens præmium decernitur. Magna profectò, sine qua, neque esset apud homines correctio morum, neque passionum cohibitio, neque disciplina virtutum: neque prudentia actiones dirigeret, nec iustitia contineret, nec fortitudo partem irascibilem stabiliret, nec temperantia concupiscibilem ordinaret. Sine illa non esset in Ecclesia doctrina, non esset peccatorum punitio, non bonorum operum præmium, non sacramentorum administratio. Deessent misericordiæ opera, neque aliquis cibaret famelicum, potaret sitibundum, vestiret nudum, aut visitaret infirmum. Tandem hominum procuratio, & communitatum gubernatio, totiusque reipublicæ administratio deficeret; quia hæc omnia præstamus ministerio huius vitæ, quæ vocatur actiua. Cum enim hæc omnia, non ad contemplationem, sed ad praxim pertineant, certissimum est ad id vitæ genus spectare, quod in actione consistit. Magna denique vita, cuius opera, si in propriam utilitatem ordinentur (vt sunt fletus peccatorum causa profusi; affectuum mortificatio, virtutū exercitatio, & cætera huiusmodi) nos ipsos emendant, à peccatis ac vitis purgant, virtutum indumentis exornant, & paulatim ad mentis prouehunt sanctitatem. Si vero in vsum aliorum dirigantur, proximorum necessitati subueniunt, fratres iuuant, imò & ipsi vniuersorum Domino in suis membris inseruiunt. Quare in nouissimo die, his, qui à dextris erūt, bonis nimirum ac iustis, est ipse dicturus, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare; sitiui, & dedistis mihi bibere, hospes eram, & collegistis me; nudus, & cooperuistis me; infirmus, & visitastis me in carcere eram, & venistis ad me.] Illis autem valde admirantibus, & interrogantibus, quando hæc in Dominum obsequia contulerint, dicitur illis: Amen dico vobis, quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.]

C Christus ergo obsequia membris suis, nempe proximi facta, ita recipit, ita diligit, ita gratificatur; ac si in gratiam sui corporis essent effecta. Hac ratione Basiliius, certè potentissima, nos ad vitam actiuam pronocat, sic dicens: Si ministrare vis, in nomine Christi ministrato. Ipse enim dixit: Quatenus fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Nam siue hospites recipis, siue medicos reficis, siue dolentium misericordia commoueris, siue necessitate aliqua calamitatēve oppressos auxiliari metu subleuas: siue aduersa valetudine laborantibus inferuis; omnia isthæc officia perinde Christus habet, ac si in ipsum propriè cōferrentur. Qui ergo Christum cupimus, qui eius dulcia oscula, & purissimos optamus amplexus, quatenus cum primò per actiuam vitæ, ministremus ei in proximis, vt postea illum in seipso inuenire, eoque cum ingenti gaudio perfrui possimus. Optimè quidem ait factus Bonaventura, Cur, anima, tota die anxialis post Christum, indicabo tibi quem diligit anima tua, o spōse dilecti. Certè in infirmaria iacet, & ibi angustiat, & ibi torquetur. Curre, & sibi ministra, sibi compatere infirmanti. Cur instas spōsa quotidie, vt spōsi osculo osculeris? accipe ad leprosum, & osculare eum, quia ibi iacet sponsus. Cur sponsa miserima, præ sponsi amore languere te dicis, & ipsum quotidie nudum, discalciat, & afflictū ante te vides transire,

E

Psal. 23.

Isa. 2. 3.

Isa. 1. 14. Gen. 32. 26.

Isaia 33. 14.

Hier. lib. 10. in Isa. c. 33.

Isa. 53. 11.

Isa. 58. 6.

Matt. 25. 34.

Basil. in cons. monast. c. 2.

Bonavent. in simu. l. 2. c. 3.



& negligis, neque etiam compateris tibi: Hæc est prima vite spiritualis pars initium cœlestis itineris, ianuam incomprehensibilem thesaurorū, vitare mala, præstare bona, seipsum per mortificationem ordinare, proximis propter Christum inseruire. Qui hæc ianuam in exordio suæ conversionis non occupat, certò sciat se in vita spirituali minimè progredi; sed per voluntatis propriæ deserta, inuia, & inaccessibleia discurrere.

In quem scopum tendat vita actiua.

CAPVT XXII.

NILLVM est hominum institutum, quod non ad aliquem peculiarem scopum & finem dirigatur, cuius gratia, & illum viuendi modum, siue institutum arripimus, & vniuersas eius molestias (si quæ incidant) non solum patienter, sed libenter quoque sustinemus. Ab initio documento Ioannes Cassianus sumit disputationis initium, suarum collationum lectores ad perfectam vitam allicit. Omnes (inquit) artes ac discipline, scopum & finem proprium habere noscuntur, ad quem respiciens vniuscuiusque artis industrius appetitor, cunctos labores, & pericula, atque dispendia, æquanimitè gratanterque sustentat. Quod argumentum, propositis exemplis agricolæ, negotiatoris, & militis (quorum primus perceptionem copiosarum frugū; secundus, diuitiarum questum, tertius, adeptionem honorum ad dignitatem, tamquam finem respicit) latè & eleganter profequitur. In hanc eandem sententiam optimè dixit Basilus. Neque fieri potest, vt ille artem, aut scientiam aliquam exactè comprehendat, qui alias ad aliam rem se confert; imò neque vllam artem consequi poterit, si non antea ea, quæ propria finis sunt, cognouerit. Et reuera, quia multi suorum operum finem ignorant, & nihil certum suis actionibus assequi intendunt, idè in vanum laborant, sine fructu se cruciant, & post multas curas, & labores, parum, aut nihil emolumentum percipiunt. Est enim finis veluti calcar nos incitans, & ad currendum perurgens: Est veluti gemma, quam volens manibus apprehendere. Si autem ipsum, nec sentiamus impellentem, neque inuitantem videamus, & cursus nostri operis erit lentus, & segnus, & eius, quod nos latet, inanis apprehendendi conatus. Nonne, quia iaculum aut sagittam emittit, si non in scopum aliquè dirigat, operam ludit, & priuatus manet sui laboris effectu: Eodem profus modo, qui in nullum finem mentis oculos figens, aliquam vitam spiritualem amplectitur, nullū, aut modicum capiet suorum operum laborū, que profectum.

Finem ergo atque scopum (pro eodem enim accipio, licet Cassianus distinguat) viam, ac vitam, quam hucusque descripsimus, breuiter inquiremus, in quem tendere debet actiuus, hoc est bonarū actionum sectator, ne sine fructu se exerceat, atque, vt eo adepto valeat ad perfectiora conscendere. Finis iste non est alius, quam vniuersorum vitiorū extinctio; passionum mortificatio; virtutum moralium acquisitio; & in bonis operibus rectitudo. Aut breuius. Finis est emendatio morum, ac vitæ correctio, quæ sine vitiorum deletione, sine affectu cohibitione, sine virtutum adeptione, ac sine rectis operibus, nequaquam subsistit. Quare Iſidorus, actiuam vitam vocat innocentiam bonorum operum. Quomodo autem hæc innocentia, ac operum puritas, aut obtinebitur, aut conseruabitur, si adsit vitia, quæ actio-

nes inficiant, & passionem immoderatam, quæ rationem obnubilent, si desint virtutes, quæ bonas actiones efferant, si absit ipsa æquitas, atque iustitia: Et Cassianus, religionis nostræ disciplinam in duas partes, siue scientias (vt ipse vocat) practicam, & theoreticam, existimat esse diuisam; quæ idem sunt cum vita actiua, & contemplatiua. Practica autem, id est, actualis, emendatione (inquit) morum, & vitiorum purgatione perficitur. Atque alio loco, Finem cænobitæ describēs, qui scilicet in monasterio positus, vitam actiuam colit, ita ait. Finis cænobitæ est, omnes suas mortificare, & crucifigere voluntates, ac secundum Euangelicam perfectionis salutarem mandatum, nihil de castro cogitare. Nemo non videt, in hoc sine à Cassiano proposito, ea quatuor, quæ diximus, manifestissime contineri. Quis enim, aut vitis infectus, aut affectu oppressione turbatus, suas voluntates crucifiget? Et quis virtutibus spoliatus, aut operum curitate non reclusus, poterit ita omnia cõtemnere, vt inordinatè, nihil mundanum, aut temporale recogitet? Imò & Deminus per os Iſaie hæc a iustis, qui omnes saltem actiuam vitam agunt postulare videtur, dū ait, Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum, vt non facias vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem tunc delectaberis super Domino. Auertere enim à Sabbato pedes, id est, affectus animæ, ne eos, aut desiderio, aut opere impleamus; quid est nisi passiones cohibere? Et vocare dies nostros Sababata delicata, & Domino accepta; quid est, nisi vitia nostra delere? Hæc enim faciunt, vt non sine indignatione Dominus dies nostros sibi iam per religionem vitam cõsecratos abiiciat, dicens: Galendas vestras, & solemnitates vestras, odiuit anima mea; facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens. Glorificare autè Dominū, vt nō faciamus vias nostras; quid aliud est, nisi virtutes acquirere; quæ sunt vitæ, non nostræ, sed Dei, in quibus ambulamus, vt diuinus honor semper in nobis illustrius appareat. Denique subditam esse nostram voluntatem adeo, vt nec loquamur sermonem, qui Deo displiceat, aut proximum offendat, quid est nisi perfectam innocentiam retinere? Nam si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir: Iure ergo astruximus ea quatuor, vno vitæ actiuæ sine comprehendi.

Hæc vita iure potest appellari, bonarum actionum effectrix, quare eius scopus erit, bonas actiones præstare, quæ Deo placeant, & præmium æternum post huius mortalitatis cursum, accipiant. Studiosas autem actiones non præstat, qui bonus non est, dicente Domino: Non potest arbor mala bonos fructus facere. Hæc igitur vita, vt bona opera reddere possit, suum sectatorem, debet bonum, & studiosum efficere. At non est studiosus, qui vitiorum labe corrumpitur, cum vitia sibi contraria virtutibus, & omnium criminū, ac iniquitatum principia. Nō est studiosus, qui affectuum suorum extenuatione raptus, quæ non amanda sunt, amat, quæ non odienda sunt, odit, quæ amplectenda sunt, fugit, & in rebus pessimis delectatur. Non est studiosus, qui habitus virtutum non comparat, à quibus, vt sapientis à sapientia, sic nominatio studiosi desumitur. Nō est demum studiosus, qui reclusus non est, nec rectum meritò appellabimus, eum, qui opera elicit praua, atque distorta. Quare Bernardus sapienter dixit, Rectum re vera te dixerim, si rectè in omnibus sentias, & factis nō dissentias. Inuisibilis animæ statum nūciat fides, & actio. Rectum iudica, si fide Catho-

Cassi. col. 14. de spirituali sci. c. 1.

Idem col. 19. c. 8.

Iſa. 58. 13.

Iſa. 1. 14.

Iacob. 3. 2.

Matth. 19.

Bern. ser. 24. in cat.

Cassi. col. 1. c. 2.

Cassian.

Iſid. lib. 3. sentent. c. 15. nu. 1.

cum, & iustum opere probaueris: finominus cur-
uam censere non dubites. Si ergo hæc vita pro fine
habet bonum reddere posse florem suum, & bonus,
ac studiosus non est, qui vitii sædatur, qui passio-
nibus inordinatis inficitur, qui decore virtutum caret,
ac operum probitate: consequens est, vt in hæc om-
nia tamquam in scopum tendat, eaque in suo ama-
tore requirat.

Qui ergo in vita actiua se exercent, non ita eius
operibus bonis insistant, velut si nihil proprio labo-
re assequi studerent: sed quasi illi, qui tantorum la-
borum onere cupiunt finem illis debitum inuenire.
An mercator se in emendis & vendendis mercibus
occupat, & in rationibus subducendis, solum, vt
emat, & vendat, & pecunias numeret? Non, sed vt
emendo, vendendo, & alia sui officij præstando, ad
opes concupiscas perueniat. An adolescens scholas
adit, magistros auscultat, volumina Doctorum legit,
lecta, & audita cum aliis confert, tantum, vt loquen-
tes audiat, & se assidua lectione fatiget? Non, sed vt
legendo, audiendo, & disputando scientiam acqui-
rat, & doctus, ac litteratus euadat. An pauper diuiti
famulatur, iussu imperantis exequitur, & ne latum
quidem vnguem ab eius voluntate discedat, vt mise-
re seruiat, & alterius fortè insipientis, & superbi vo-
luntati se accomodat? Quis hoc sibi persuadeat?
Seruit igitur, vt sibi ipsi de victu, & vestitu, & aliis
rebus necessariis prouideat. Ita ergo, qui vitam in
actione positam amplectendam suscipiunt, sic in
eius actiones incumbant, quasi non sui tantum gra-
tia editas, sed in vltiorem finem propriæ reforma-
tionis ordinatas. Hinc fiet, vt ea amplectantur, in
quibus non mundanum splendorem, aut propriæ
voluntatis expletionem, sed maiorem sui spiritus
profectum inuenient. Quantum autem detrimentum
sit sine isto fine bene operari, docet Hugo Victori-
nus, his verbis. Quæcumque magis profunt, meliora
sunt, & omne opus secundum fructum suum iudi-
cari oportet. Multi hanc discretionem non habentes,
plurimum laborauerunt, & parum profecerunt;
quoniam oculum habuerunt foris tantum ad spe-
ciem operis, & non intus ad fructum virtutis. Ga-
uisi sunt enim magna se facere, magis quam vtilia
exercere; & dilexerunt potius illa, in quibus videri
possent, quam emendari. Intendant itaque hi suis
bonis operibus Deum suum querere creatori vniuer-
sorum placere, omnium cœlestium ac terrestrium
Domino famulari. Illud psalmi secum inculcent:
Dico ego opera mea regi. Dicent sermone opera
sua regi, tamquam in gloriam eius facta, & dicent
facto, tamquam veraces, qui verba opere & actione
confirmant. Curent studiosis actionibus vitia extin-
guere, & prauos mores, malis operibus roboratos,
euellite. Nam, sicut vitiosa opera prauos mores ge-
nerant, nutriunt, atque confirmant, ita actiones op-
positæ, illa nimirum, quæ ad ehorum virtutum per-
tinent, inueterata vitia, & pessimas consuetudines
eneruant, minuunt, penitusque corrumpunt. Clauus
namque (vt est in proverbio) clauo truditur, & vi-
tium contrariæ virtutis actibus profigatur. Curent
bonis operibus affectus inordinatos, & passiones
effrenatas cohibere, quæ in non considerantibus, &
intelligentibus solent, ipso bonorum operum labore
insensibiliter generari. Tristitia pullulat, si opus ab
operante susceptum, sinistrum euentum habeat: Eru-
bescentia, si minus penè procedat: Ira, si quis se
opponat, & quod faciebamus impediatur: Vana læ-
titia, si inanem applausum, & vanum honorem af-
ferat: atque adeo, merorem, cecitatem, & turba-
tionem sentimus, vnde lætitiã, lucem, & quietem

A mentis deberemus accipere. Hæc perfectionis im-
pendia, vitæ actiua cultores effugiunt, cum pacatè
& tranquillè externas occupationes acceptant, &
sibi ipsi persuadent, nihil maioris esse momenti,
quam corpus & illibatum cõseruare, atque alienum
ab his turbatis passionum motibus custodire.
Omnem itaque iram, omnem tristitiam, omnem im-
patientiam, omnem pusillanimitatem, & vno no-
mine, vniuersas passiones sopire, & tranquillare ni-
tantur, si internam pacem spiritali vitæ omnia ne-
cessariam, cupiunt possidere. Ad quod eos monet
Dionysius Richelius, dicens, Qui pacis stabilita-
tem seruare conatur immobilem, & item inuiolabi-
lem, inconcussamque mentis quietem, mititare &
patientia potissimum eget, ne iniuriis moueatur, ne-
que ira flammescat. Mentis quippe iracundia, atque
commotio, pacem protus extinguit, & Spiritum
sanctum (qui vtrique non disensionis, sed pacis spi-
ritus ritè dictus est) celeriter à corde depellit. Deni-
que pacifico fortitudo necessaria est, ne extollatur
in prosperis, neque opprimatur aduersis, & ne pa-
cem cordis sui in aliorum potestate constituat, sed
ipsam in se statuens, quæ eam extrinsecus, aut læ-
dere aut tollere queunt, mox spernat, celeriter pel-
lat, nullatenusque suscipiat. Ex quo illud elicimus,
hunc esse bonarum actionum fructum, passiones
omnes comprimere, vt mentis pacem & quietem
possideamus. Curent etiam studiosis actibus, tam-
quam instrumentis quibusdam virtutes omnes, hu-
militatem, mansuetudinem, obedientiam, pati-
entiam, & reliquas adipisci. Istæ enim sunt gemmæ,
quas trapezita sapiens exoptat: Istæ opes, quas sol-
licitus mercator bonorum operum negotiatione con-
quirat: Istæ amplæ diuitiæ, quarum gratia in exter-
na occupatione laborat. Quare virtutem sitientibus
dictum est. Petite, & accipietis; querite, & inue-
nietis: pulsate, & aperietur vobis. Petunt oratione,
qua Dominum interpellat, & pro virtutibus acqui-
rendis, fetibus ac gemitibus exorant: Querunt serui-
tatione, qua secum examinant, quali modo, ac sine,
quæuis actio bona præstanda sit, vt virtutem sibi
debitam assequatur. Pulsant executione, qua id, quod
à Domino postularunt, & mente qualiter facien-
dum erat, examinarunt, opere præstare contendunt.
Fallor, si non ita Beatissimus Dorotheus hunc locum
exposuit. Petite (inquit) est, vt scilicet orando pre-
cemur: Querite autem, hoc est, scrutamini dilige-
ter, quo adueniat virtus in vos, quid potissimum sit,
quod eam afferat, quid agendum nobis, vt illam con-
sequamur, & possideamus, & hoc est quod ait: Quer-
rite: Pulsare autem est, præcepta Domini obseruare,
& facere; qui enim pulsat, manibus pulsat, manus
igitur per practicam accipiuntur. Sic igitur actiui
bene operentur, vt in virtutes figant mentis obtu-
tum, eaque bonis actibus comparare contentur. Cu-
rent tandem eam rectitudinem studiosarum actio-
num habere, qua ipsi recti sint, atque perfecti. Sicut
enim nõ bonus scriptor est, qui vtrumque multum
seribit, sed qui bene ac pulchre characteres exarat;
ita nõ est rectus, neque perfectus, qui multum ope-
ratur, sed qui perfecte bonas actiones exequitur. Et
istud monet Dominus in Deuteronomio. Iuste, quod
iustum est persequeris, vt viuas, & possideas terram,
quæ Dominus Deus tuus dederit tibi. Ecce finem
vitæ in actione constituta, quam si toto mentis co-
nato sectatus fueris, in hac vita viues, hoc est,
perfectionem, quæ vera vita est, assequeris,
& in alia, terram viuientium,
iustis præparatam,
possidebis.

si. col. de sp. ali. 1.

m. col. 2. 8.

1. 8.

1. 14.

Hugo lib. de medi. tando, ad finem.

Psalm. 44. 2.

ob. 3. 2.

11. 7.

ser. in cat.

Dion. lib. 2. de vita & sine so- lit. art. vii.

Lucæ. 11. 9.

Dorothe. doct. 1. 4. vult me- ritum.

Deut. 16. 20.

Que

Quae sint actiones propriae vitae actiuae.

CAPVT XXIII.



ICVTI volentibus in aliquam vrbe proficisci, nec tamen viam scientibus, quo progrediendum sit, statim cura est de via scientes interrogare, vt ea cognita, sine errore, ac periculo ad locum destinatum, breui cursu perueniant: ita, qui in vita actiua positi cupiunt ad praedictum finem laud praestantissimum peruenire, debent vias ad istum finem tendentes, ingenti desiderio mentis inquirere, ne alienam viam carpentes, propriamque deserentes, post multum laborem, longe se a fine concupito reperiant. Viae autem istae actiones propriae vitae actiuae sunt, per quas ambulantes, ad praedictum virtutis, ac rectitudinis scopum accedunt. Has actiones in duas classes Bonauentura distinguit.

Actiua vita (inquit) duae sunt partes: Prima pars, qua quis se exercet ad suam principaliter vtilitatem, corrigendo se, emendando a vitiis, & informando virtutibus. Et idem secundario fit, ad vtilitatem etiam proximi per opera iustitiae, & obsequia pietatis, & charitatis: Secunda pars eius est, quomodo quis principaliter suum exercitium confert in vtilitatem proximi, quamuis ad suum etiam maius meritum, vt alios regendo, docendo, & adiuuando in animarum salutem, vt faciunt praelati, & praedicatores, & huiusmodi. Optima est istarum actionum diuisio. Sed nos maioris claritatis gratia, vniuersa vitae actiuae opera, ad tria genera reuocamus. Quorum primum ea opera complectitur, quae ad propriam emendationem, ac perfectionem pertinent. Secundum ea, quae non sine merito nostro ad animarum conversionem, & proximorum gubernationem spectant. Tertium illa, quae cum proprio etiam profectu, ad necessitates, aut vsus temporales nostri, aut aliorum diriguntur. De quibus est sigillatim dicendum.

Primum genus operum, quod ad propriam emendationem confert, in quatuor est actionum classes distribuendum. Prima illas actiones continet, quibus praeterita peccata deslemus, iniquitates in saeculo patratas detestamur, & flagris, ciliciis, ieiuniis, humicationibus, vigiliis, aliisque similibus laboribus ea in nobis ipsis castigamus, carnemque tantorum malorum fontem affligimus. Ad quas salubres actiones, & iniquitatum medicamina Dominus nos per Ezechielem inuitat, dicens: Conuertimini, & agite poenitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite a vobis omnes preuaricationes vestras, in quibus preuaricati estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Conuersio enim in peccatorum detestatione, in lacrymis, fletibus, & gemitibus: & assumptio poenitentiae, in corporis afflictionibus, doloribusque causa iniquitatum illatis, consistit. Eadem poenitentiae medicinas Bernardus, hac oratione declarat. Tu seminasti tibi ad iustitiam, si ex vera noticia tui enigilasti timere Deum, te ipsum humiliasti, fudisti lacrymas, eleemosynas profudisti, ceterisque pietatis actionibus mancipasti. Si ieiuniis & vigiliis afflixisti corpus; si peccatus tuncionibus, caelum clamoribus fatigasti. Hoc siquidem seminare est ad iustitiam. Semina sunt, bona opera, bona studia; semina sunt lacrymae. Ibant enim, & flebant, mitentes semina sua. His verbis, dulcissimus pater nos ad fletum, & lacrymarum amaritudinem prouocat, quibus diuinae consolationis dulcedo con-

Bonauent. lib. med. tatio. c. 45.

Ezech. 18. 30.

Bern. ser. 37. in ead.

Psal. 125. 6.

A quiritur. Secunda illa opera comprehendit, quorum praesidio, vitia vniuersa profligamus, & hostes illos immanes sanctitatis, superbiam, inanem gloriam, iactantiam, loquacitatem, pigritiam, impudicitiam, proteruiam, & alia id genus monstra, deicimus. Quorum victoriam, Deus nobis non nostra virtute, sed sua gratia, pugnantibus, per Isaiam pollicetur. Ego (inquit) ante te ibo, & gloriosos terras humiliabo, portas areas conteram, & veteres ferreos confringam, & dabo tibi thesauros absconditos, & arcana secretorum. Quo loco, per gloriosos terras, seuissimas cordis nostri passiones, per portas, ignorantiam, per veteres, vitia nos a vera scientia, & cognitione excludentia, Cassianus intelligit. Et iure optimo vitia nomine vectum, & repagulorum appellat, quae ingressum ad Dei contemperationem, impediunt. Vnde Isidorus optime: Quicumque adhuc temporale gloria, aut carnalem affectat concupiscentiam a contemperatione prohibetur, vt positus in actuali vitae operatione purgetur. In ista enim prius per exercitium boni operis cuncta exhaurienda sunt vitia, vt in illa iam pura mentis acie ad contemplandum Deum, quisque pertranseat. Pugna ergo, qua vitia prosternimus, non solum actiuae opus est vitae, sed etiam ad caelestium contemperationem, ianuam aperit, & obstacula diuinae lucis excludit. Tertia classis, illas actiones amplectitur, quae sensus cohibet, tam externos, vt visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum: quam internos: cogitationem, praecipue, & memoriam, ne in vana & curiosa perfluant: & omnes passiones animae, praesertim, amorem nimium personarum, desideria rerum temporalium, tristitiam ex aduersis successibus, & iram atque indignationem, mortificant. Cum enim vita actiua praeparat animam ad vitam contemplatiuam, quia Deus intellectu & affectu possidetur; necessarium est, vt mundo renunciet, ac inordinatis sensum, passionumque motibus, quibus mundo coniungimur, vt Deum aliquando tenere valeat. Sapienter enim dixit Prosper. Qui vult Deum possidere, renunciet mundo, vt sit illi Deus beata possessio. Nec renunciet mundo is, quem terrene possessionis adhuc delectat ambitio, quia quamdiu sua non relinquit, mundo, cuius bona retinet, seruit. Et vtique non potest mundo seruire simul, & Deo.

B

C Ac si propterea voluit Deus cultores suos omnibus renunciare, propter quae diligitur mundus, vt exclusa cupiditate mundi, diuina in eis charitas possit augeri, vel perfici. Ne autem putes te mundo renunciasse, quia diuitis te exuisti, si aut amores, & desideria harum, & aliarum rerum temporalium retines, & cum illis cogitatione, & sensibus ludis. Renunciatio enim, non tam in illa externa abiectione, quam in ista interiori abnegatione consistit. Quarta classis, eorum operum est ad morales virtutes pertinentium, quibus affectus moderamur, vt sunt opera humilitatis, silentij, modestiae, paupertatis, castitatis, & obedienciae, abstinentiae, sobrietatis, ac mansuetudinis, & alia huiusmodi, quae animam pacant, atque tranquilliant. Hic enim ratio Beati Thomae non incongrue procedit, cum actiuae vitae scopus sit bonum opus, ad eam omnem carum spectare moralium virtutum, quae bonam opus efficiunt, & ad debitam sibi perfectionem ducunt. Quamuis autem virtutes istae agmina vitiorum extinguant, & passionibus imperent, non sine causa ab illis in hac enumeratione segregatae sunt, quonia aliud est virtutibus vitia delere, & passiones frenare, quod ad praedicta genera actionum pertinet, aliud vero vitiis extinctis, & passionibus cohibitis, non iam ad mortificationem

D

E

Isai. 45. 2.

Cassi. lib. 4. de spiritali gastrumag. c. 2. Isidor. lib. de summo bono. c. 15.

Prosper. 2. de vita contem. c. 16.

D. Tb. 2. 2. q. 181. ar. 1.

Richard. in Psalm 95.

tificationem, sed ad meritum promptè, & alacriter, suos actus elicere. Omnes actiones huius generis Richardus Victorinus sub typo Moſis in corde noſtrè refurgentis ſubtiliter deſcribit. Si videris (inquit) aliquem de ſæculo nuper venientem, tota die circa hoc intentum, in hoc omni hora occupatum, quid pro præteritis delictis ſatisfaciat, quomodo de futuris ſe cautum cuſtodiat: quid, quo ordine gerendum, quantum, vel quando cuiſlibet rei inſiſtendum; ſcias Moſem in eius, qui cuiſmodi eſt, corde ſurrexiſſe; & quaſi novam quamdam quodammodo legem condere. Nato namque Moſe, & ad alto iam, mores componit, iam vitam diſponit. Cogitat quemadmodum vultum moderari oporteat, quomodo diſciplinatè habitum, geſtùmque componat, dicat quid comedendum, quantum vigilandū, qualiter reſiſtat iræ, quomodo cõradicat gula, quemadmodū conculcet ſuperbiam, qua ratione extinguat luxuriam, quàm promptus eſſe debeat ad obediendum, quàm patiens ad ſuſtinendum: multa præterea alia, quæ meliùs faciendum, quàm legendum diſcimus, & archiùs retinemus.] Quibus verbis omnes penè huius generis actiones ante oculos mentis noſtræ proponit, vt ex his exterioribus, aut interioribus perfectionis initiis ad maiora, & ſublimiora noſtræ vitæ opera tranſeamus.

Secundum genus actionum huius vitæ multas actiones, & quidem præſtantioreſ, comprehendit. In quibus primò loco cõſtituitur ſcientia, non prout acquiritur, qua ratione vocatur diſciplina, & eſt contemplatiuorum propria: ſed quatenus à doctore per ſermonem, aut ſcriptionem proſciſcitur, quæ vocatur doctrina, & alioſ exterius erudiens ad praxim, actionemve referitur. Quare Gregorius inter opera vitæ actiue conſtituit verba ſapientiæ neſcientem docere. Et Auguſtinus. In quantum hoc agitſ (ait) id eſt, verbum Dei, ſepoſitis familiaribus curis, auditis, Mariæ ſimiles eſtiſ, & faciliùs vos intenditiſ quod agit Mariæ, quàm ego, qui prærogo.] Deinde prudentia: non ſolùm, quia ea actiones noſtras ordinamus, ſed quia luce tantæ virtutis adiuti, proximis noſtris conſilia præbemus, eorūque vitam, ac negotia dirigimus. Vnde Philoſophus, prudentiæ opera actiue ſcelicitati aſcripſit. Atque aded omnes prudentiæ ſpecies & partes, eidem vitæ attribuendæ ſunt. Species quidem eius numerantur; regnatiua, qua Principes rei publicæ ſibi cõmiſſæ, concubilia iubent: Politica, qua ſubditi prudenter ſe gerunt in obediendo principibus: Oeconomica, qua paterfamiliaſ, eidemque ſubiecti benè ſe habent iuxta rationiſ, legiſque præſcriptū: Et militariſ, cuius præſidio in republica hoſtium inſultuſ repelluntur. Partes verò prudentiæ adiunctæ ſunt, conſilium, iudiciū, & ſententiæ, quam Græci, gnomen vocat. Sed de his longum eſſet, & præter rem noſtram diſputare. Præterea ad hanc partè vitæ actiue pertinet miſericordia, & pietas, quæ aſſictioſ recreat, diſcordes pacificat, vincioſ iuuat, moribundoſ roborat, & alia huiuſmodi præſtat officia. Illa, inquam, quæ peccatoſ corrigit, ignorantē erudit, dubitantibuſ, quod rectum eſt, conſulit, pro aliorum ſalute Deum orat, maſtoſ conſolatur, iniuriā perſert, offenſamque remittit. In cuiuſ confirmationē Gregorius: Vita actiua eſt, errantem corrigit, ad humilitatiſ viā ſuperbientem proximum reuocare, inſirmantiſ curā gerere, quæ ſinguliſ quibuſque expediunt, diſpenſare; & commiſſiſ nobiſ, qualiter ſubſiſtere valeant, prouidere.] Rurſuſ. Charitaſ verbum Dei ſeminans, ſe ipſam ad tempuſ deſerens, & aliorum curam ſuſcipiens: religio miſericordiæ admixta conſeſſiones peccatorum excipiens, euchariſtiam benè diſpoſitiſ

A conferens, & alia ſacramenta ſubminiſtratiſ. Ad hæc, legalis iuſtitia, quæ ſubditoſ gubernat, congregatioſ regit, & communitateſ in officio continet. Nec non, & iuſtitia ſpecialiſ, tam quæ in commutationibuſ, quàm quæ in diſtributionibuſ inuenitur, quæ particulareſ perſonæ inter ſeſe iuſ æqualitateſque conſeruant. Ad extremum omneſ illæ functioneſ, ſub tribuſ à Dionyſio Arcopagita annumeratiſ, cõprehenſæ, quibuſ Deo conſecrati ſacerdoſ ad ſimilitudinem Angelorum, populòſ ſibi commiſſoſ, purgant, illuminant, atque perſciant. Purgant, quia ab ignorantibuſ, neſcientiam, atque ignorantiam expellunt, illuminant, quia veritateſ ad ſalutem neceſſariā, manifeſtant: perſciant, cum ad Deum omnium conditorem, ac vniuerſarum creaturarum ſinem animæ ſcatorum reducant.

B Tertium demum genus in duāſ actionum claſſeſ licet diuidere. Prima complectitur opera miſericordiæ corporalia: qualia ſunt, paſcere eſurienteſ, potare ſitienteſ, operire nudoſ, captiuoſ redimere, argutoſ inuiſere, peregrinoſ hoſpitiū recipere, & deſuſtorum corpora tradere ſepulturæ. Ideo autem corporalia vocantur, quia ad corporalem ſcatorum neceſſitateſ ſubleuandam exercentur. Horum operū exemplum. Ille quidem cum de ſe ipſo teſtatur. Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum.] Et rurſuſ: Foriſ non manſit peregrinoſ, oſtium meum viatoriſ patuit.] Et alio loco: Oculuſ fui cæco, & peſ claudo: pater eram pauperum, & cauſam, quam neſciebam, diligentiſſimè inueſtigabam. Conterebam molaſ iniqui, & de dentibuſ illiuſ auſerebam prædam.] Iſte verò: Nam quotidie pergebat per omnem cognationem ſuam, & conſolabatur eoſ, diuidebatque vnicuique prout poterat de facultatibuſ ſuiſ: Eſurienteſ aliebat, nuduſque veſtimenta præbebat, & mortuoſ, atque occiſoſ ſepulturam ſollicituſ exhibebat.] Quorum laborum merceſ in hac vita fuit, quòd ei긑 orationeſ exaudirentur. Quando orabaſ enim cum lacrymiſ (dixit ei Angeluſ, Raphaël) & ſepeliebaſ mortuoſ, ego obtuli orationem tuam Domino.] Magnam proſectò præmiū in hac vita operibuſ miſericordiæ decretum, noſtraſ orationeſ à Domino exaudiri, & quod poſtulauerim긑 imperari. Iſta opera, ſanctuſ Auguſtinuſ vitæ actiue tribuit, in hunc modum ſcribent. Attendam긑 occupationeſ noſtraſ circa multa. Neceſſarium eſt miniſterium corpora reſecturiſ. Quare hoc? Quia eſurit, quia ſicitur. Miſericordia miſeriſ neceſſaria eſt. Frangiſ panem eſurienti, quia inueniſti eſurientem. Tolle famem, cui frangiſ panem? Tolle peregrinationē, cui exhibeſ hoſpitalitateſ? Tolle nuditateſ, cui præparaſ veſtem? Non ſit ægritudo, quem viſitaſ? Non ſit captiuitaſ, quem redimiſ? Nò ſit rixa, quem concordat. Non ſit moſ, quem ſepeliſ. Et ad idem Bernarduſ. Actiua vita eſt, panem eſurienti dare, verbum ſapientiæ proximoſ docere, errantem corrigit, ad viam humilitatiſ ſuperbientē reducere, diſcordanteſ ad concordiam reuocare, inſirmoſ viſitare, mortuoſ ſepelire, captiuoſ, & in carcere poſitoſ redimere, quæ ſinguliſ quibuſque expediunt, diſpenſare, neceſſaria vnicuique prouidere.] Secūda claſſiſ laboreſ artium illiberalium continet quæ in religionibuſ fratreſ miniſteriſ temporalibuſ deputati, non lucri cauſa, ſed deſiderio humilitatiſ, affectuſ fraternæ charitatiſ, & impulſuſ diuini amoris exercent. Iſtæ arteſ ad ſeptenariū numerum referuntur, & ſic nominantur. Lanificium, armatura, nauigatio, agricultura, venatio, medicina, atque

C
D
E

Dion. lib. Eccl. Hi. rar. c. 6.

Iob. 31. 18. Iob. 52.

Tob. 1. 19.

Tobia 12. 12.

Aug. ſer. 27. de verb. Domini.

Bern. in modo uenit ad ſermonem. 53.

fabrilis.

4. 2.

ſi. lib. le ſpir. di ga. mag.

ſor. lib. ſemma. o. c. 15.

ſp. 2. vita. ſem. c.

ſp. 2. 181.

Hugo lib.
1. excerp.
c. 14.

fabrilis. Ad hanc artem illiberalem, septem his partibus comprehensam (inquit Hugo) omnium rerum fabrica concurrere videtur. Ad hanc enim pertinent vniuersa, quae humanis necessitatibus inveniuntur grata, commoda, necessaria, & quaecumque sub praedictis septem speciebus eius comprehendi comprobantur.] Nec dubium esse potest, quin ista artium opera vitae actiuae annumerentur actionibus, siquidem in debitum finem ordinata, ac bonis circumstantiis effecta ab eo, qui non est expers gratiae Dei, non solum bona sunt, & rationi consona, sed etiam meritum aeternae felicitatis exposcunt: illa vero, quae tanti sunt pretij, non possunt à dignitate vitae spiritualis excludi. Et cum minimè ad partem contemplaticam pertineant, reliquum est, ut partibus actricis sint opera, atque functiones. Nec praetermittenda est hoc loco erga nos, tum benignitas dulcis, tum admirabilis prouidentia Dei, quae in supra dictis elucet. Quia enim vita actiua maiorem partem sine vlla fere comparatione fidelium occupat, quorum multi parum, aut nihil de perfectione norunt, atque in arrepto instituto propriae voluntatis propensione reguntur: hanc magnam syluam bonorum operum, quam praediximus, hominibus obtulit, ut quisque iuxta propriam inclinationem haberet, in quo otiositatem vitaret, & rectè atque cum merito suae vitae annos insumeret. Et sicut conditor noster pro sustentanda naturali vita, tor cibos, ac tã varios, diuersisq; palatis accommodatos, prouidit, ut qui vnum detrectat, alium sine nausea recipiat, ita pro rectè ducenda vita mortali tantã multitudinem bonarum actionum obiecit, ut cuius propensio istis repugnat, aliis sibi congruentibus, & gratis insinat. Nullus ergo, praesertim religiosorum, aliquam executionem lucis otiositatis praetendat, quia non poterit se à reprehensione liberare, otiosus manens inter occasiones operandi, & aliquid agendi constitutus. Si non potes, o anima, semper orare, saltem aliquid exterius operare; in aliqua occupatione vtili tui statui accommodata, & tuae voluntati iucunda, labora. Collige nunc in annis vitae tibi concessis sanctorum laborum merita, quibus in perpetuum delesteris. Filij Noëmi, Mahalon, & Chelion appellantur in Paralipom. viri mendacij, quia mortui sine filiis, nullum sui coniugij reliquerunt effectum: Et sic filij sanctae religionis, id est, pulchrae, meritò reputantur viri mendaces, si otio, & socordiae dediti, non sui status operum signa relinquunt. Isti sunt securus, & incendens, qui principes fuerunt in Moab; nam securi iocis & vanis colloquijs insistant: & igne mali exempli alios sodales accendunt, ut potius principes Moab, hoc est, mundanorum magistrum, quam Christi, & sanctorum discipuli, reputentur.

Quid necessarium sit, ut actiones vitae actiuae, bonae, sint meritoriae, atque perfectae.

CAPVT XXIV.



In his operibus vitae actiuae, non sola natura operis consideranda est, ut scilicet, sit ex suo genere alicuius virtutis fructus, sed proprietates etiam inquirenda, quarum causa opus, aut suam naturam pulchram, & perfectam omnino conseruat, aut in aliud mutatum vitiosum fit, & substantiam virtutis amittit. Ut enim opera ista, non vtrumque,

A sed perfectissimè ad vitam actiua[m] pertineant, etiam sibi postulant necessaria. Alterum, ut sint bona, quod adeo necessarium est, ut sine bonitate, vitam actiua[m] fugiant, & vitam mundanam, aut voluptuosam sectentur. Alterum, ut sint meritoria, & apud Dominum iustum bonorum remuneratorem, aliquo praemio, ac mercede sint digna: Tertium, ut sint omninò perfecta, quae nos, non solum iuxta praescriptum rationis bonos, aut praemio dignos, sed in virtute consummatos faciant, atque perfectos. Erunt bona, si non tantum ex proprio genere, sed etiam ex circumstantiis (ut vocant) ex his scilicet, quae adiacent actibus, moralem bonitatem accipiant. Nam, si aut omnes circumstantiae (quae septem sunt, ut D. Thomae, & Theologis, ac philosophis placuit) aut earum aliqua[m] mala sint, ab actione nostra bonitatis decorem surripiunt. Bonum erat sacrificium, quod durante veteri lege Deo offerebatur, quis negat? Sed sacrificium Oziae malum fuit ex defectu primae circumstantiae, nempe ex defectu personae, quia regibus datum est gubernare populum, non tamen more sacerdotum, sacrificia, & hostias manibus propriis offerre. Quare Dominus, ut Oziam ab hoc flagitio compesceret, in ipso templo, eum lepra percussit, & vrbs (narrant Iosepho) tremore[m] contremuit. Bona erat illo tempore pecudum immolatio; sed illorum sacerdotum mala erat, qui post reditum è captiuitate Babylonica Domino animalia maculosa immolabant: quia nimirum deerat secunda circumstantia, quae aut quantitatem, aut qualitatem, aut effectus ex actione nostra prouenientes designat. Et ideo eos Dominus per os Malachiae vehementer increpuit. Si offeratis (inquit) caecum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est?] Bona erat emptio, & venditio rerum, quae in templo deberent offerri, ut quae (ut inquit Augustinus) opus habebant homines in sacrificiis illius temporis. At mala erat emptio, & venditio facta in templo: quia nimirum apta non erat tertia circumstantia loci. Nam templum non ad exercendas nundinas, sed ad orandum consecratum est. Et in huius signum Dominus, cum fecisset flagellum de funiculis, omnes vendentes, & ementes eiecit de templo, onces quoque, & boues, & nummulariorum effudit a[s], & mensas subuertit.] Rationi consonum est, necessitati corporis prouidere, & cibos ad depellendam famem comparare; at malum fuit, quod Esau, etiam cum oppido lassus erat, coctionem rufam primogeniturae, ac sacerdotij venditione, quae fuit; quia in quarta circumstantia defecit, nimirum in auxilijs, & instrumentis, quibus ad suam indigentiam depellendam est usus. Neque enim debuit pro esca tam vili suam dilapidare substantiam. Ideoque Paulus eum prophanum appellat, & tantorum bonorum profusionem damnat. Ne quis fornicator (inquit) aut prophanus, ut Esau, qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.] Similiter iusta erat defensio regis Asae, qua propulsabat iniuriam sibi illatam Baala rege Israel, sed mala fuit, Dominoque displicuit, quia usus est auxilio regis Syriae. Unde dixit ei Hanani propheta missus à Domino, Quia habuisti fiduciam in rege Syriae, & non in Domino Deo tuo, idcirco equalis Syriae regis exercitus de manu tua. Stultè egisti, & propter hoc ex praesenti tempore aduersum te bella confluent.] Similiter bona est elemosyna, quoniam à morte liberat, & ipsa est, quae purgat peccata, & facit inuenire misericordiam, & vitam aeternam,] mala vero est, si propter ventum inanis glottiae sint Abest enim in quinta circumstantia, nempe

debitas

1. Paral.
4. 22.

D. Thom.
1. 2. q. 7.
art. 1.

2. Paral.
26. 19.

Malach.
1. 8.

August.
1. 1. in
Ioan.

1. 2. 15.

Genes. 25.
30.

Hebr. 12.
16.

2. Paral.
c. 16. 7.

Tobia 12.
9.

debitus finis, in quem hoc misericordiae opus debuit ordinari. Atque adeo monuit Dominus: cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te: sicut hypocritae faciunt, in synagoga, & in vicis, ut honorificentur ab hominibus.] Quanam melior hospitalitas, & excellentior, ea qua Martha, huius vitae actiuae typus, Christum excepit in domum suam: Et tamen quia non seruauit modum, & in nimia parandi corporalia sollicitudine excessit, reprehensa est: Martha, Martha (inquit ille virtutum magister, & operu pöderator) sollicita es, & turbaris erga plurima: portu vnum necessarium] vel, ut alij transtulerunt, paucis verò opus est, aut etiã vno. Opus quidem perfectissimae hospitalitatis laudatur, sed nimia sollicitudo, atque turbatio aliquantulum carpitur, ut nobis persuadeamus, sextam circumstantiam modi esse tenendam, ut actio sit omnino perfecta. Illud namque, Ne quid nimis, seruandum est etiam in ipsa iustitia, quae extrema horret, & in aequilibrio consistit. Tandem bonum est beneuolentiae opus admittere, cum ab alio ad prandium inuitaris, sed peccauit ille propheta, qui in tempore sibi verito conuiuium admisit. Ob idque inuenit eum leo in via, qui scilicet ex imperio Domini illum quarebat, & ipsum occidit. Cuius causa statim exprimitur, cum alius, qui prophetam ad cibum vocauerat, ita respondit, Vir Dei est, qui inobediens fuit ori Domini, & tradidit eum Dominus leoni, & confregit eum.] Hoc, inquam, ideo crimen fuit, quia vltima circumstantia temporis est praetermissa. Ut ergo opera actiuae vitae bona sint, haec circumstantiae sunt obseruandae. Et religiosus attentè consideret, an opus quod aggreditur, suae personae congruat. Nam quaedam conueniunt praelatis, ut iubere: quaedam subditis, ut obedire; haec senibus, ut consulere, illa verò iuuenibus, ut consilia senum & obseruare & suscipere. Item, an quantitatem teneat (exempli gratia) in cibo; an plus sumat, quam necessarium est; an verò minus, quam opus habet ad laborandum, accipiat. Rursum; an locus actioni sit aptus; nam in Ecclesia, in choro, in triclinio loqui & circumspicere, est nimis ineptum, in horto verò, aut alio loco recreationi destinato, verba moderata proferte non dedecet. Deinde, an aquis auxiliis ad propositum finem utatur, quia ad subiiciendum corpus spiritui, moderatae vigiliae, & ieiunia, & alia huius generis iumentum sunt: Immoderata, licet ad tempus professe videantur, tandem tandem officient. Praeterea, quo fine bona opera faciat, an placere hominibus, ut homo ineptus & vanus, an cruciatus aeternos fugere, ut seruus, an gloriam adipisci, ut mercenarius, an soli Deo placere, ut filius charissimus concupiscat. Ad haec; Quem modum in bonis operibus teneat, an remissus sit, an imprudenter sollicitus, an priora transiliat, vel leuiter tantum attingat, ut sequentia perficiat, an dum orat, vel celebrat, aut psallit, negotiis, quae ad ipsum attinent, distrahat. Denique an opportunitatem capter: Ut enim ait Salomon, est tempus plantandi, & tempus euellendi; tempus flendi; & tempus ridendi, & omnia tempus habent, & suis spatiis transeunt vniuersa sub caelo. Qui his considerandis se applicat, & iam istud in sua actione polit, iam illud emendat, tandem disceat, bene perfectaeque munera actiuae vitae praeferre.

Ne verò praedicta opera merito careant, aliud praeterea requiritur, ut scilicet a vita spiritali anima, quae est gratia, procedant, & propter Deum fiant, in sumque tamquam in finem referantur. Debeant quidem a gratia procedere, dicente Domino: Sicut pal-

mes non potest ferre fructum à semetipso, nisi mafferit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere.] Ipse profecto est vitis pulcherrima, iusti autem palmites, ei per gratiam vniti, ac colligati. Vnde quemadmodu palmites vitis naturalis copulati viti, ab ea vitam & fructum percipiunt, separati verò, non tantum vitam, sed vim etiam fructificandi perdunt: ita iusti facti membra viua Christi, ei per gratiam & charitatem coniuncta, fructum, hoc est opera vitae aeternae meritoria afferunt, separati verò per graue peccatum, nihil, quod vitam aeternam mereatur, possunt efficere. Hoc etiã à Diuino spiritu in libro Geneseos significatum est, dum dixit, respexisse Dominu ad Abel, & ad munera eius] denotans munera fuisse grata & accepta propter offerentis bonitatem, ac sanctitatem. Vnde Gregorius, Ex dantis quippe corde id quod datur accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera oblata placuerunt. Prius namque ad eum legitur Dominus respexisse, qui dabat, quam ad illa quae dabat.] Ideo etiam vita aeterna, quam speramus, gratia vocatur, licet propter merita nostra detur, quia merita ipsa, non à natura, sed à gratia proueniunt. Quare Augustinus optimè, Quod est ergo meritum hominis ante gratiam? Quo merito percipiet gratiam, cum omne bonum meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia, & cum Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronat, quam munera sua? Et infra, vnde est ipsa vita aeterna, quae utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis praecedentibus redditur, tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur, non ob aliud, nisi quia gratis datur: nec ideo, quia meritis non datur, sed quia data sunt, & ipsa merita, quibus datur.] Debent igitur opera à gratia manare, ut vitae aeternae mercedem accipiant. Debent quoque in Deum, tamquam in scopum, ac finem dirigi. Ei enim placere optatum est, à quo mercedem laboru ac praemium nostrorum operu speramus recipere. Vnde Saluator noster ait: Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in caelis est.] Tunc autem opera nostra in Deum tamquam in finem diriguntur, aut quando opus nostrum actu in hunc praestantissimum scopum dirigimus, & istud perfectius est: aut quando in virtute prioris voluntatis qua summo mane (exempli gratia) omnes operas nostras Deo, quasi sacrificia gratissima obtulimus: haec quam modo praestamus, in eundem finem placendi Deo iudicatur esse directa. Ut igitur labores militis, nullius sunt apud regem valoris, nisi ipse miles ex acie regis sit, & ipsius gratia, labores periculaque sustineat (Quid enim ad principem Christianum refert, si tu in castris sui hostis milites, & non sui causa, sed propter te ipsum, tuamque vtilitatem, aut propter eius hostem labores?) sic non est apud Deum alicuius meriti operatio ab illo procedens, qui in castris Diaboli per graue crimen militat, neque sit diuina gloriae ac bonitatis obtentu. Qui non est mecum (ait Dominus) contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit. Ille autem, qui gratia & amicitia Dei vacuus, non est ex factione Dei, neque labores suos in horrea Diuini honoris recondit, aduersarius Domini & suorum operum dissipator est reputandus.

Sed non satis sunt haec, ut opera nostra sint omnibus

Matth. 6. 2.
Luc. 10. 41.
Cassian. col. 1. c. 8.
3. Reg. 13. 24.
Ibid. 24.
Eccles. 3. 2. & 4.
Iou. 15. 4. & 5.

Genes. 4. 5.
Greg. lib. 22. mor. c. 8.
Aug. epi. 105.
Matth. 6. 1.
Luc. 11. 23.

numeris absoluta. Potest namque contingere, vt à gratia, animæ vita, procedat, & quod ad bonos mores atinet, circumstantiis debitis induantur, & tamē aliqua in eis desiderentur, sine quibus ad optatam puritatis pulchritudinem, nec dum perueniant. Sicut enim homo licet hominis naturam habeat, & membra integra, & potentias, tum corpori, tum animæ conuenientes, adhuc aliquid in eo exigi potest, nimirum, quod hanc hominis naturam, ac corporis partes ornet, eximia pulchritudo: Ita quamuis in humanis operibus boni substantiam, & congrua accidentia ad mores pertinentia videamus; sunt aliæ diuiniore proprietates; quæ possunt inesse in eis, pibus vacua, nec dum omnino pulchra oculis nostri conditoris appareant. Istæ autem proprietates sunt, quæ sequuntur. Prima, vt tu, qui vitam actiuam profiteris, aut sis omnino perfectus, aut saltem sis non admodum imperfectus. Calamus namque male temperatus, pulchros characteres non exarat; gladius obtusus, & rubigine sordescens, non secatur aratrum contrafactum, minimè terram profcindit; & homo imperfectus, vitis corruptus, prauis affectibus fractus, sinistra intentione superatus, opera omnibus partibus absoluta non perficit. Idcirco Dominus ad Phariseos ait, Progenies viperarum quomodo potestis bona loqui cum sitis mali? Ex abudantia enim cordis os loquitur. Hac oratione docens, malitiam cordis verba noxia profundere, & pessimorum patrum progenies, nō dissimiles, & odij passione victas, non posse, quod bonum est, loqui. Et rursus: Bonus homo, de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert mala.]

Ex quo non ineptè cōsequitur, religiosum tepidum, ac imperfectū, de thesauro cordis sui prolaturū opera tepida atq; imperfecta. Secūda, ne laudē humanam, aut maiorum fauorē, pælatorum beneuolentiam aucuperis, sed solā diuinam gloriam. Dominūq; beneplacitum operibus bonis inquiras: Quam tantū cupiens, & quod in te est faciens; vt opus bene succedat, si fructus speratus non euenerit, nequaquā ista occasione turbaberis. Tristitia enim & anxietas ex solo peccato debes concipere. Si ergo absque peccato, & negligētia tua, oleū & operam perdidisti, & quod optabas, non es assequutus, nō est cur ex sinistro euentu tristeris; sed omnia diuina voluntati cōmittens, cuius honorē ac gloriam promouere cupiebas enitere, vt internā pacem & mentis tranquillitātē cōserues. Hoc est enim illud necessariū, quod omninō cōseruandū est, vt aliis inseruendo, tibi ipsi proficias, & aliorum curam sustinēdo, Dei familiaritatem non amittas. Actionis quidem seruos (inquit Gregorius) tunc rectè disponitur, cum sic infistimus operi, vt tranquillo corde eum cui opera nostra cōsecrare nitimur, videamus. Quid est namq; nimitas sollicitudinis, nisi cōsulto superne intētionis? Quia dum se erga plurima diuidit, diuisa iam ad supernorā intuitū non assurgit. Illud enim aternū & simplex bonum aternæ visionis, anima, quia vix vnica cōprehendit, se nimirum ad id diuisa non erigit.] Ex rectitudine ergo intentionis, tranquillitas procedit, et tranquillitate puritas mentis exoritur. ex puritate, lux venit, qua non solū in secreto orationis, sed etiā inter occupationes ipsas, Deo internis oculis videatur. Tertia, ad perfectē operandū, te ipsam oratione meditationeq; prepara. Absurdum namq; est, existimare, vitā actiuam, omne orationis studium excludere, imō ne inanis sit, & innumeris peccatis, aut defectibus implicetur, aliquo est orationis tēpore cōdienda. Quotidie itaque aliquod temporis spatium sanctæ orationi meditationique concede, in quo

Matth. 23.
34.

Ibid. 55.

Luce 10.
42.

Greg. lib.
5. in 1.
Reg. ante
finem.

A mentem ex assiduo actionis labore fatigatā recrees; actiones ipsas, in quibus occuparis, examines, emendes, & dirigas, seruosorem charitatis, ac deuotionis o-lum, nec non & internas vires ad laborandum restaures, restauratas conferues, conseruatas augeas, amillas recuperare; te totum, tuosq; labores vniuersorum creatori offeras, & diuinæ prouidentia; cum vera resignatione committas: & tandem Christum adeas bene operandi magistrum, & virum spirituum datorē largissimum, a quo discas studiosa agere, & accipias bene agendi facultatem. Hoc est, Marthā de Maria foreore conqueri, eius adiutorium ad Iesum in corde excipiendum exposcere, orationis studium ad bene operandum postulare. Tunc vita actiua, molestia externæ occupationis fatigata, dicit: Domine, non est tibi curæ, quod foror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi, vt me adiuuet.] Et scilicet domus (vt Bernardus ait) & beata semper congregatio est, vbi de Maria, Martha conqueritur. Sicut enim contemplatiuæ vitæ deditis temporalia ministeria sine imperio superioris assumere, & non vocatos ad externas actiones exire, magnum est tepiditatis in iudicium. Ita est signum seruosoris, & deuotionis, actiuos contemplationem cupere, & inter ipsos labores vitæ actiua; orationis spatium quaeritare, & aliquod tempus sibi ipsis concedendum suffurari.

Quarta. In ipso decursu, atque exercitio actionis externæ, te ipsum sollicitudine magna custodi, noxias cogitationes fuge, quæ tunc solent claustra cordis irrumperere. Christum Iesum cruci affixum, vel ad columnam ligatum, vel alio modo præsentē habe, teq; insipientem considera, aut saltem aliquod sanctum, & quod te moueat, meditare: Silentium strictissimè serua, aut, si pro fugienda singularitate, aut leuanda molestia, aut tristitia depellenda, lingua laxanda sit, psalmus in ore tuo resonet, vel adificationis verbū, non sine permisso patris spiritualis procedat, quo te ipsum, & alios astantes in desiderio maioris perfectionis accendas. Laurentius quidem Iustinianus protulit hoc salubre documentum. In ipsis (inquit) actionibus exterioribus, serui Dei prudenti se circumspectione custodiant. Nam solet interdum in eisdem animus effranari, & lingua, ita vt omnia omni grauitate spiritu leuitatis totus feratur in præceps, neq; quid agat, vel quomodo, considerare velit. Facile tūc verba proferuntur, nullo sapientia; sale condita, qua audientium corda impatientia iacula ferunt, & totam dissipant dulcedinem charitatis.] Et post pauca; Ideo sanctis cogitationibus occupanda mens est, cū corporale sit opus, vt pariter cordis & corporis gratum altissimo offeratur holocaustum. Quod si hoc fieri nequit, verbum pronuncietur adificationis, vel vocalis saltem nō deferatur oratio, vt Dominus dupliciter laudetur. Debent quippe, qui Deo placere cupiunt, nihil horum præmittere, quæ valeat cor accendere, aut proximum edificare.] Quibus verbis hoc valde necessarium ad bene operandum documentum non minus sapienter quam deuotè declarat.

Quinta, Cura, appetitum & vniuersas passiones, & desideria tua rationi & regulæ virtutis subiicere. Sic enim mitem ac amabilem te fratribus exhibebis, nulli, aut immoderatè placere, aut displicere, & nocere studebis, & omnes alias bonæ actionis qualitates, sine vlla difficultate præstabis. Quare Ambrosius hanc subiunctionem ad rationis regulam, tamquam fontem omnis bonitatis, quæ in actione elucet, collocauit. Tria (inquit) in hoc genere spectanda cernimus, vnum, vt rationi appetitus non reluctetur. Hoc enim solummodo possunt officia nostra illi decoro conuenire. Si enim appetitus

rationi

Luce 10.
40.

Bern. ser.
3. de as-
sumpt.

Iustitia.
de discip.
& perfect.
monach.
21.

Ambros. 1.
offic. c. 24.

rationali obediat. facile id quod deceat in omnibus officii conferuare potest. Deinde, ne maiori studio, quam res ipsa est, quae suscipitur, vel minore, aut paruum magno ambitu suscepisse, aut magnam inferiore destituisse videamur. Tertium de moderatio- ne studiorum operumque nostrorum, de ordine quoque rerum, & de opportunitate temporum, non dis- simulandum puto.] Et concludit. Sed primum illud quasi fundamentum est omnium, ut appetitus ratio- ni pareat.] Ex cuius sententia magni momenti est ad bene perfecte operandum, affectus rationi subicere, ne & nobis ipsis parum utiles, & fratribus molesti inter agendum efficiamur.

Sexta denique, tuam uocationem expende, vires, tum corporales, tum spirituales metire, & iuxta eas onus externae occupationis admitte. Nam foecundia & ignauia est non laborare, quod possis. Et recte dicitur tibi, qui non laborat, non manducet.] Et temeritate ac praesumptione non caret, pondus laboris accipe- re, quod supportare non ualeas. Patibisque repre- hensionem, qua Ietro suum generum Moysen incre- puit. Non bonam (inquit) rem facis, stulto labore co- lumeris, & tu, & populus iste, qui tecum est, ultra vi- res est negotium, solus illud non poteris sustinere. Verissimum ergo est illud, Non omnia possumus omnes.] Et sicut onus aliquod vni quidem exiguum est, alteri magnum, & importabile, alij vero modera- tum, suisque viribus accommodatum, ita exterior oc- cupatio, illi est parua, & suae uocationi non sufficiens, illi magna, & suas vires excedens, alij vero omnino conformis. Si autem dubites, quae operis externi sit tibi apta accommodataque mensura, id primo experi- do, & probando requires. Nam hac minima occupa- tione tepidum & otiosum te senties, hac vero im- moderata, inquietum & desolatum te videbis, alia tandem in medio posita feruorem spiritus, requiem animi, & consolationem experieris, & inde hanc tibi conuenien- tem alias autem incongruas, & noxias iudicabis. Ci- borum quantitatem, & qualitatem, cuique salutarem aut insalubrem experientia demonstrat, & quantum exterioris operis admittere, aut reculare debeamus, ipsamet experientia declarat, aut operum admissione in virtute nos promouens, aut ad desiderio virtutis, & ab itinere perfectionis auellens. Deinde oratione id a Domino postulabis: Ut enim ait Bernardus, vnicui in huiusmodi remedium, seu refugium, oratio est, & frequens gemitus ad Deum, ut quid, quando, & qua- tenus nos facere velit, assidue nobis demonstrare di- gnetur.] Sed praecipue obedientiam ex praelati imperio cognosces. Illius namque est pro sui muneris obli- gatione considerare, quid iniungat, quo pacto onera laborum distribuatur, qua prudentia inquietos, & do- no orationis carentes oneret, & quietos, & ad con- templationem vocatos alleuiet. Tuum autem est, quilibet sis, & quocumque dono polleas, alacriter, & sine ulla cunctatione obedire. His quae diximus opera vitae actiuae donis ornata, non solum bona in- ueniuntur, sed etiam meritoria, atque perfecta.

Vitam actiuam ad nouitios religionum per- tinere, & ei quales esse debeant.

CAPVT XXV.

TRIA diximus esse operum genera, quae vi- ta actiua complectitur, ex quibus secundum animarum saluti consulens, vita mixta est relinquendum, & quibus competat, erit inferius enodandum: due vero alia, primum & tertium (quo- rum illud propriam emendationem quaerit, istud ve-

Aro in operibus misericordiae, & temporalibus mini- steriis fratribus seruit) quibus religionis conueniant, est nunc breuiter explicandum. Primum illud genus actionum, quod hominis mores emendat, & vi- tam in melius mutat, atque cor in exercitatione vir- tutis informat, proprium est nouitiorum, qui mun- dum fallacem effugerunt, & ad tranquillum religio- nis portum conuolarunt, ut veterem hominem exuerent cum actibus suis, nouum autem, qui se- cundum Deum creatus est in iustitia, & sanctitate veritatis, ex ardenti desiderio perfectionis, indu- rent. Ista enim actiones sunt veluti fundamenta, & vitae spiritualis exordia, quare illis congruere cer- tum est, qui vitam carnalem, aut mortem animae de- ferentes, vitam spirituales, atque studiosam inci- piunt. Et sicut priores partes viae, quae ducit ad ciuita- tem, illi viatores occupant, qui nuper ad eam prope- rare ceperunt, medias vero tenent illi, qui iam du- dum itineri se dederunt, postremas autem illi terunt, qui iam prope moenia sunt, & ante alios egredi ex hospitio festinarunt: ita primas vitae spiritualis par- tes, in actione positas, nouitij occupent, qui nuper- rimè ex se ipsis egredientes iter hoc aeternitatis arri- piunt: secundas in contemplatione constitutas, profi- cientes teneant, qui tyrocini curriculum emenso, iam pridem ad perfectionem iter faciunt: postremas vero utramque vitam copulantes, qui iam vicini fini itine- ris sunt, id est perfecti, possideant. Non negamus pu- ros actiuos, purisque contemplatiuos posse ad per- fectionem ascendere, absit, imò vero quam plu- rimi inter occupationes externas, ad magnam per- fectionem peruenerunt, multi etiam (quod est frequentissimum) in solitudine sibi ipsis vacantes, tamquam homines qui iam caelestes, aut Angeli terrestres, ad omnis sanctitatis fastigium euolarunt. Nee etiam putamus actiuos numquam debere con- templationem attingere: aut contemplatiuos ita ac- tionem relicturos, ut numquam debeant ad actio- nem remeare. Quis enim hoc credat: cum mens as- sidua mortificatione non culta, syluescat, & affe- ctus virtutis, sarculo non euulsi, pullulascant? Sed id, quod status fert, asserimus. Ideoque vitam actiuam tyronibus, contemplatiuam proficientibus, & mixta perfectis, tamquam his statibus magis congruentes, asseribimus.

D Nouitius ergo, qui in prima vitae actiuae parte se exercet, quo pacto se gerere, & qua ratione conuer- sari debeat, breuiter dicamus. Illud in primis curet, ut statum religionis, ad quem uocatus est, in maximo pretio habeat, & pro eximio beneficio uocationis creatori ac Domino Deo suo gratus in perpetuum existat. Aestimatio namque religiosa vitae, quam se- mel arripuit, perseverantem reddet, & occurrentium laborum ac tentationum patientem efficiet: gratitu- do vero uocationis ad alia dona promerenda, & ma- iorem gratiam assequendam, ianuam aperiet. Sed eat itaque cum Dauid coram Domino, & hoc praeslan- tissimum donum mente recogitans, dicat, Quis ego sum, Domine Deus, & quae domus mea, ut prestares mihi talia?] Ego iniquus peccator, qui toties tuam maiestatem offendi; Domus mea domus perducillis, & transgressoris illius, qui gustando lignum vetitum, me, & omnes alios fratres meos, filios suos ad tua gra- tia, & amicitia deturbauit. Et tamen, tu Domine, mi- fertus mei, è terrestri paradiso deieci, ad caelestem paradysum vocasti, ut iterum ea superna dona pos- siderem, quae instigante Diabolo, & primo paren- te, mandatum transgrediente, perdideram. Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, ideoque lo- cutus es super domum serui tui, etiam in futurum, &

ca 10.
2. ser.
de as.
npt.

uina.
scrip.
est.

u. 1.
c. 2. 4.

2. Thessa- lon. 3. 10.

Exod. 18. 18.

Bern. ser. 57. incut. sine.

1. Para. lip. 16. 17.

Ibid. 17.

fecisti me spectabile super omnes homines. Domine Deus.] Locutus, inquam, es bona super domum meam, vt scilicet, non solum mihi, sed & fratribus meis, quibus, aut oratione, aut exēplo, aut doctrina proficio, perpetuam felicitatem promitteres. Duxisti me, amantissime Pater, in hanc regiam tuam, vt ex homine, imò vt ex foedissimo peccatore, Angelū faceres: (quid enim obstat misericordiae tuae iniquitas mea, si mea culpa & negligentia non sum, quod tu me esse voluisti?) & super alios homines, qui scilicet humanè viuunt, vita superiorem constitueres. Hunc autem animum gratum facile nouitius cōcipiet, si ea mala, quae effugit; & bona, quae acquisiuit, in superiori tractatione explicata, attenta consideratione perpenderit. Eductus est de cōfusione Babylonica, de seruitute Aegyptiaca, de igne atque incendio Chaldaeorum: Liberatus est à iugo peccati, ab ignorantiae tenebris, à vinculis, ac nexibus prauitatis. Erupit ex laqueis Diaboli, ex morte animae, ex inferni discrimine. Adductus verò est in domum pacis, & lucis, in hortum amoenissimum deliciarum. in quē fugato malitiae Aquilone, venit Auster diuini spiritus, & floribus desideriorum bonorum virtutes erumpere faciens, omnia interiora fouent, atque viuificans. Quidni amore liqueat? Quidni gratias agat? Quidni pro tam ingenti dono benefactori suo vitam puram ac illibatam retribuat?

Animatus ergo hoc grati animi affectu, & suo muneri satisfacere cupiens, illud statim sibi persuadeat, vitam spiritualem, quam aggressus est, non in lignis externis, non in corporalibus caeremoniis, sed in spiritu & veritate consistere. Parum enim proderit, si caput aliquantulum demissum teneat, oculos modestos habeat, manus veste cōtectas, & quietas gesserit, si moderatè incedat, grauitè & summissè loquatur, genuflexiones & prostrationes faciat, & omnes alias ordinis caeremonias perfectissimè seruet, nisi in his consistens, ea tamquā instrumēta verae virtutis assumat. Haec necessaria sunt, & omnimodis amplectenda: non tamen amplius conferunt vitam spiritualem agenti, quam homini, sine anima & spiritu, capilli, & barba, atque externa corporis dispositione sufficeret. Haec, o frater, signa sunt, non veritas, accidentia sunt, non substantia; instrumenta sunt, non finis, operimenta sunt, non corpus; flores, & folia sunt, non fructus, quorum producēdorum gratia ad statum religionis venisti. Audi Bernardum, quid sentiat de his exterioribus virtutis indicis. Videtis (inquit) istos nouitios: Nuper venerūt, nuper conuersi sunt, non possumus de ipsis dicere, quia vinea nostra floruit, floret enim. Interim, quod in eis apparere videtis, flos est, fructuum tēpus nondum aduenit. Flos nouella conuersatio est, flos, formula recens vitae emendationis est. Induerunt sibi faciem disciplinatam, & bonam totius corporis cōpositionem. Placent, fateor, quae in facie sunt, negligentior utique is, qui foris apparet, corporū cultus, & vestitū sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecūdiior, incessus maturior. Verum, quia haec nouiter cōcipere (ipsa sui nouitate flores cōsemda sunt, & spes fructuum, magis quam fructus. Vnde sicut stultus esset ille, qui ex arbore à se magno labore cōstita, nihil aliud quam flores, & folia requireret, fructus verò, palato suaves, & corpori salubres cōtemneret: ita & tu, cum stultis & insipientibus computaberis, si ex mutatione status, qua ex deserto saeculi te ad hortum religionis trāstulisti: nihil, nisi folia caeremoniarum, & non fructum verae virtutis exquiris. Certè religio status esset valde puerilis, si in his tantum externis signis sita esset, & non in suis sc̄atorum

A bus veram virtutem, ac sanctitatem exposceret. At, cum sit status, non iuniorum qui cingunt seipso, sed seniorum, qui vt dictum est Petro, ab alio cinguntur, nempe à Prælato, & ducuntur in ea, quae spiritus amat. & non, quod caro vult, manifestum est, quoniam haec externa petit, vt folia, sine quorum tegmine, minimè fructus subsisteret, virtutem autem mentis veram, & solidam, tamquam suauissimum fructum exquirat.

Hoc itaque statuamus, tamquam certum, & longa experientia comprobatum, externam corporis disciplinam, sine studio mortificationis, & assiduo exercitio virtutum, & parum valere, & longo tempore durare non posse. Parum quidem valet, quoniam (vt inquit Paulus) exercitatio corporalis ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia.] Parum valet, quia sola, & cura verae virtutis vacua interioris affectus non ordinat, amorem rerum terrenarum non extirpat, & anxietatibus, indignationibus, & turbationibus saeculi expositos derelinquit. Qui maxima, imò cuncta reliquimus (inquit Dionysius Richelius) pro vilium rerum appetitu, molestissimas vbertim contentiones murmuratōnesque mouemus, conturbantes alios, propriamque pacem laedentes, ob quam seruandam, caetera cuncta speranda sunt.] Et cur hoc nisi quoniam adhuc interior manet inculta affectio, & cupido inextirpata? Ideoque gaudet super nos aemulus noster, ad hoc fugisse omnia cernens, vt nunc minima appetamus, atque propter vilia superemur. Quod est huius mali remedium? Illud sanè, quod ipse statim Dionysius subiecit. Omnia (dicens) haec corporalia, exterioraque opera, ad interiorē reformationem indefinenter vertamus, alioquin inordinata erit cōuersatio nostra, & qui à seruire incēpimus, in tepore consummabimur.] Parum tandem valet sola exterior disciplina, quoniam ad diuinam familiaritatem, quam magnis desideris debemus concupiscere, tyrones idoneos non reddit. Sicut enim rex habitare in ea domo refugeret, quam licet exterius dealbatam sciret, interius tamen immundam, & venenatis animalibus plenam esse cognosceret: Ita Christus in illo religioso commorari, & cum eo conuersari tenuit, quem exterius compositum, & quasi caeremoniis dealbatum; interius tamen vitii, prauis affectibus, & malis moribus coopertum agnouit. Poterit ne (ait Bernardus) domus mundata cōfessione priorum delictorum, & obseruatione regularium institutionum ornata, indigna adhuc iudicari habitaculo & gratiae saluatoris ingressu? Poterit sine dubio, si superficie tenus emundata, & iuncis strata virentibus, interius plena sit luto. Quis enim suscipiendum Dominum arbitretur in dealbatis mortuorum sepulchris, quae videntur à foris speciosa, intrinsecus autem spurcicia & sanies, vniuersa repleuit? Esto siquidem, vt aliquando tamquam ipsa superficie delectatus, incipiat primum apponere pedem, ei qui huiusmodi est, primam aliquam visitationis suae gratiam indulgendo. Numquid non resiliet illic cum indignatione? Numquid non effugiet clamitans? Infixus sum in limo profundi, & non est substantia.] Virtutis enim species, & non veritas, quasi qualitas est, non substantia. Neque verum ingressum eius exterioris potest conuersationis tenuis superficies sustinere, quoniam omnia penetrat; & in intimis cordibus eius habitatio est. Exterior enim disciplina sine studio internae virtutis, multo tempore durare non potest. Nam sicut arbuta, radices in terra fixas non habentia, adueniente solis ardore, statim arescunt, & flante v che-

Ioan. 21.
18.1. Timot.
4.8.Dionys. lib.
1. de vita
ol. ar. 12.Bern. ser.
2. de assu-
ptione.r. fol. 68.
3.

mertiori

Cant. 4.
16.Bern. ser.
63. in
Cant.

mentiori aere, non solum agitantur, sed penitus euulsa procumbunt, ita exteriora ista religionis indicia, facillime data, minima occasione decidunt, si non in mentis virtute radicentur. Hæc itaque externa quarantur, non sui ipsorum gratia, sed ut interna virtutis dona efficiant, conferuent, augeant, atque promoueant.

Substantia ergo, & veritas nouitiorum, qui iam vitam religiosam, & spiritualem inceperunt, prima pars vitæ actiue est, quam debent toto metis conatu tempore tyrocinij sui exercendam suscipere. Tunc autem hoc præstant, cum in id vehementer incumbunt, ut peccata in seculo facta, verissimo odio detestentur, amarissimoque imbrey lacrymarum diluant. Et qui antea magna peccata veluti aquam bibeant, minimos nunc defectus aufugiat, carnem san ciliis, flagris, & omnis afflictionis genere spiritui subiciant, sensum instrumeta, præcipue oculos, aures, & linguam cohibeant, districtissimam tenentes silentij censuram, cogitationi acriter imperent, eamque veris recordationibus assuetam, sanctarum meditationum vinculis ligent; passiones, & affectus immoderatos mortificent, nimiam familiaritatem, & ineptas amicitias, animæ pestes fugiant; vitia, præsertim superbiam, iracundiam, amorem possidendi, libidinem, & alia huiusmodi, extirpent: virtutes, præcipue humilitatem, mansuetudinem, paupertatem, & pudicitiam, Angelorû sponfam, acquirat: se ipsos contemnant, conculcent, & proterant, ab vniuersis contemni, & pro nihilo haberi appetant, & honoris, gloriæ mundanæ, ac dignitatum appetentiam, penitus, si fieri potest, extinguant: omnibus se tractabiles & amabiles præbeant, maioribus obediens, æqualibus gratos, minoribus virtutis se formam exhibeant; fugiant, taceant, quiescant, abscondantur, elongentur: ament nesciri, discant mori, lugeant præterita, spernant præsentia, meditentur futura. Ac breuiter, hæc sit eorum cura, hoc studium, ut seipos, tum officiis externis, tum actibus internis ornantes, tandem ad finem tyrocinij, quando per professionem summo creatori se offerent, viri perfecti, & spirituales euadant. Ista est, tum prima vitæ actiue pars, tum nouitiorum regula, & forma viuendi, quam si recte custodierint, ad præstabiliora vitæ contemplatiue & vitæ militæ opera erunt idonei.

Ut autem istam viuendi formam tenere & ad prædictum gradum perfectionis venire possint, quinque eisdem documenta valde necessaria proponimus.

Alterum est, ut prælatum, vel spirituale magistrum, magni æstiment, impensè diligant, suam conscientiam ei penitus apertam habeant, ipsiusque, aut imperio, aut consilio in omnibus, non solum alicuius momenti rebus, sed etiam in minimis gubernentur. Sanè Laurentius Iustinianus, quanti momenti sit præceptum huiusmodi de nouitijs loquens, his penè verbis explicuit. Illo (scilicet magistro suo) neminem iudicent sanctiorem, prudentioremque: ipsum pure diligant, ipsum venerentur, ipsi tota deuotione famulentur. Aperiant denique illi simpliciter, ac sine excusatione omnes cogitationes suas, intentiones, desideria, delicta, & gesta. Ad eundem accurrant frequenter, veluti ad nutricem infans, ut ab illo doctrinæ, & consolationis suscipiant nutrimenta, atque spirituali lacte pascantur. Ab eo erudiantur, qualiter, quando, & vbi orare debeant, quid meditari, quid legere, quid operari. Similiter quantum dormire, quantumque eos abstinere liceat. In eo omnino sit eorum velle, & nolle, atque vniuersa (si possibile est) ad imperium peragant præceptoris. Hæc profecto si fideliter adimplebunt.

A letanter incedent, secure quiescent, diligentur à cunctis, protegentur ab Angelis, & visitabuntur à Domino. Nihil illis apparebit asperum, nihil arduum, nihilque impossibile, sine oculis vique replebuntur lumine, sine discretione ornatu erunt sapietia, sine voluntate erunt referti gratia, eò abundantiori, quò liberius se subiciet, nec non pro Christi amore ardentius abnegabunt se, nihil sibi penitus referuant.] Qua oratione, tum huius rei vtilitate, tum premium clarè incedentibus promissum mirifice declarat.

Alterum Libros Spirituales proprio instituto accommodatos, sed præcipue regulam & instituta suæ religionis, assidue legant. Quæ legerint, intelligant; quæ intellexerint, ament, & cupiant, quæ concupiuerint, opere præstare contendant. Lecto omnibus religiosis, sed præcipue tyronibus, necessaria est, nam rerum spiritualium imperiti, legendo discant, quid agendum, quid vitandum sit, quæ bona, quæ meliora, quæ optima, & quæ mala, quæ peiora, quæ pessima: vnumquodque in suo ordine, aut fugiant, aut amplectantur. Vnde Hugo, Perlectionem discimus, quid cauere, quid agere, & tendere debeamus. Hinc Psalmista ait: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Perlectionem sensus & intellectus augentur Lectio ad orationem nos instruit, & ad operationem, & nos informat ad cõtemplatiuam vitam, & actiuam. Ideò in psalmo, beatus vir scribitur, qui in lege Domini meditatur die ac nocte.] Consultò verò lectionem proprio instituto accommodatam exposcimus, quoniam sicut diuersæ scientiæ in diuersis libris continentur, ita & diuersa religionum instituta. Nonne erraret, qui Philosophiam in Quintiliano, & Rhetoricam in voluminibus philosophicis Aristotelis quæreret? Nonne in vanum laboraret, qui Theologiam à iurisperitis, & iurisperitiâ à libris Theologorum mutuaret? Sic decipiantur, & errant, qui vitam solitariam profitentes libros ad animarum lucra incitantes, & labores cum proximis suadentes, frequenter legunt, & qui vitam militam sectantes, libros ad vitam solitariam inuitates, & ad eremi secreta prouocantes, euoluunt. Beatus Patriarcha noster Ignatius, Religiosum quemdã ex nostris, acriter corripuit, quòd cum nouitio de rebus à nostro instituto alienis loqueretur, sapienter iudicans eum auditione talium rerum, potius ad alienum viuendi genus, quàm ad proprium; quòd semel elegerat, incitati. Eaq; in reparatione docens tyronibus in communi exhortatione, & in familiari sermone ea esse proponenda, quæ statui eorum, vitæq; conueniant. Quòd in familiari conuersatione rerum spiritualium sanctus Pater noster exigebat, in lectione quoque, seruandum est. Legat nouitius eos libros, qui institutum à se arreptum doceant, qui vitam suo statui cõgruam suadeant, alios voluedos omittat ei qui iam exercitatos habes sensus, sciet sibi vitia amplecti, noxia verò, aut aliena, & suo vitæ generi non accommodata, referunt.

C Tertiũ. Sit nouitius, orationis & sanctæ meditationis tenax, frequentissimè Christum cruci affixum adeat; ipsi suas miseras, & tribulationes aperiat, necessaria ad vitæ reformationem petat, vitiorum extinctionem, ac omnium virtutum ademptionem potulet: Recogitet serio peccati feoditatem, seculi vanitatem, mortis horrorem, iudicij seueritatem, gehænæ supplicia, beatitudinis, præmia, bonis & iustis, à fidelissimo remuneratore promissa. Sed inter omnia assidue meditetur Christi Saluatoris nostri passiones, actiones, & verba, in eum quæ sepe intendat, tãquàm in omnium virtutis ac sanctitatis exemplar. Istud est præcipuum emendationis instrumentum. Nam sancta

D Tertiũ. Sit nouitius, orationis & sanctæ meditationis tenax, frequentissimè Christum cruci affixum adeat; ipsi suas miseras, & tribulationes aperiat, necessaria ad vitæ reformationem petat, vitiorum extinctionem, ac omnium virtutum ademptionem potulet: Recogitet serio peccati feoditatem, seculi vanitatem, mortis horrorem, iudicij seueritatem, gehænæ supplicia, beatitudinis, præmia, bonis & iustis, à fidelissimo remuneratore promissa. Sed inter omnia assidue meditetur Christi Saluatoris nostri passiones, actiones, & verba, in eum quæ sepe intendat, tãquàm in omnium virtutis ac sanctitatis exemplar. Istud est præcipuum emendationis instrumentum. Nam sancta

Hugo. in
Reg. c. 9.
Psalm. 118.
105.

Psalm. 2.

Lib. 5. vi.
c. 10.

Iustin. lib.
de obedient.
c. 10.

oratio, ac meditatio est magistra scientiæ, quam nouitius nescit; dux viæ, quam ignorat, medicamentum vitiorum, quibus aegrotat, frænum est passionum, mūdicia peccatorum, expultrix pusillanimitatis, effectrix stabilitatis, quæ ipsi ad perseverandū est necessaria. Publicanus ab oratione suam cōuersionem incepit, non sine ingenti humilitate, & tunctione pectoris, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori.] Magdalena ab oratione nouam vitam inchoauit: Lacrymis enim pedes Domini rigabat, crinibus lotos tergebat, labiis oscula terfis pedibus imprimebat, vnguento pretioso osculatos vnguebat, & his indicis feruorem intimæ orationis, & validæ compunctionis ostendebat, qua erratorum veniam impetrabat. Latro ab oratione quoque sumpsit suæ cōuersionis exordium, Nam conuersus ad Iesum, ita precatus est. Domine, memento mei cūm ueneris in regnum tuū.] Oratio publicano ueniæ præbuit. Oratio mulieri peccatrici iustitiam concessit. Oratio latroni paradysum impetrauit. Denique in initio penitentia suæ audit. Amen dico tibi hodie tecum eris in paradiso.] Ab oratione ergo nouus Christi miles nouam militiam incipiat, non quidem tantum ab ea, quæ uoce fit, sed ab ea, quæ sola mente & consideratione perficitur, cuius fructus est, animum erudire, affectus tranquillare, & nouum bellatorem fortissimis virtutum armis aduersus dæmonem communit. Valde miserum est incipientem religiosum, sola psalmodiarum decantatione occupari, nec miseria sæculi, nec beneficia diuina, neque uitæ, & mortis saluatoris, singulis diebus per aliquot horas euoluere. Si enim in uitæ spiritualis initio orationi meditationique non vacat, numquam meditationis consuetudinē capiet, qua sublata nescio sanè, quo pacto proficiet.


Quartum. Sæcularium allocutiones, cōsanguineorumque cōfortia nouitius, ut pestes, fugiat. Corruptum enim bonos mores colloquia praua.] Et sic ut sal, qui ex aqua efficitur, in aquam coniectus, falsam naturam amittit, & in aquam conuertitur, ita nouus Christi seruus à sæculo per uitam religiosam eductus, ac sæcularium confortia, & familiaritatis, & colloquia rediens, aut iterum sæcularis efficitur, aut saltem memoria, & affectu in sæculum, quod reliquerat, reuocatur. Illud inter alia cuique tyroni religioso Dominus in initio cōuersionis præcipit, quod in Ieremia scriptum est. Conuertentur ipsi ad te, & tu nō conuertetis ad eos.] Quia tam studiosus debet esse, & purus, ut sæculares suo exemplo, ad statū religiosum amplectendum alliciat, & tam cautus ac circumspectus, ut numquam ipsorum curas admittat, nequissimo manifesta necessitate, ad eorum familiaritatem, aut colloquia se cōuertat. Multis Thomas à Campis hanc doctrinam confirmat, sed illo præcipue inter alia. Tutiora loca inermibus, & infirmis sunt quaerenda. Arduum enim nimis in sæculo continenter uiuere, & immunem se à peccato conseruare. Dauid uir sanctus, fortis, & armatus, cū persecutionem à Saul Rege pateretur, ad tutiora loca in deserto cum suis militibus ascendit, ibidem latuit, donec sauitia hostis cessaret. Et tu ergo lōgè ab amicis, & sæcularibus hominibus discede, ne peccatis prauorum inuoluaris, & post casū inopinatum plangas te errasse, & pœniteat bonis consiliis non credidisse. Siquidem tenellus flos citò manu capitur, tactu læditur, & facillimè spina perforatur. Sic imperitus iuuenis, & nouiter conuersus, nisi fugiat, & recedat à societate mundana, incendetur celeriter igne carnalis concupiscentiæ, & inquinabitur pice lubricalis uitæ, discurrendo per

A mortifera itinera gula, luxuriæ, auaritiæ, superbiæ, & inuidiæ, uelut equus effrænis, sine timore, & tamquam insensatus sine ratione. Si enim uir potest tentationibus resistere, occasione remota, quid in medio laqueorum præsumis, mens infirma? Deferat ergo nouus religiosus parentum, fratrum, cōsanguineorumque confortia, ne eorum colloquiis distrahat, curis tepescat, & amore eorum, quæ deseruit, iterum ad mundana resiliat.

Quintum tandem documentum. Illos religiosos nouitius suscipiat, illos adeat, illos imitetur, quos uiderit regulæ obseruatores, uirtutis amatores, sanctitatisque cultores. Tepidos uero, & ignauios non debeat, si uiderit, non contemnat, sed ipsis ex corde compatiens, illorum gesta non imitetur. Fieri enim non potest, ut inter multos non reperiantur aliqui non bene incedentes, otiosos se gerentes, regulares obseruantias, aut serpentes, aut transgredientes. Si enim in cœlo Lucifer, & Angeli apostata inuenti sunt. In paradiso serpens ingressum habuit, & in cœtibus Christi Iudas Apostoli locum occupauit: Quid mirum, si in religiosis cœtibus nonnulli reperiantur, qui ualedicentes puritati uitæ, non religiose, sed sæculariter uiuant? At prudens tyrunculus eos non sequatur, quorum actus sua mens inuenit, atque condemnat. Sed documentum dulcius sapient Bernardi ore pronuntium. Inter eos (inquit) cum quibus uiuis, lectare meliores: in omni gradu & ordine optimis permixta sunt pessima. Animosos senes, & pertinaces, quos uides in his abundare periculosis temporibus, noli imitari: Mores uitæque illorum fuge, ne tibi sint in laqueam, & in ruina. O quàm multos senes, & iudices Israel, tarpiter uitæ suam negligentes, rex Babylonis in terra captiuitatis & confessionis possidet: in omni gradu & ordine optimis permixta sunt pessima. Animosos spiritus seruantes, Domino seruantes, vim faciunt cœlo, totisque uiribus sibi diripiunt illud! Vitam talium præconia iuuenum nostri imitentur senes ut annosa redderet senectū, quod tenera fert sponte adolescentia! Si tu uis proficere, non respicias quid mali faciant alij, sed quid boni ipse facere debeas.] His doctrinis instructus (quarum alio loco longior sermo redibit) sciet nouitius in tyrocinio suo uitam actiuam exercere, & paulatim ad diuinam contemplationem, & animarum læticia se disponere, ut tandem fiat Apostolicus uir, atque in omni uirtute perfectus.

Vitam actiuam ad religiosos etiam rerum temporalium administratos pertinere, & hi quales futuri sint.

CAPVT XXVI.

E  RTIVM genus operum uitæ actiue, quod ministeriis obsequij temporalis perficitur, & rebus exterioribus occupatur, proprium est eorum fratrum, quos alij laicos, alij cōuersos, nos coadiutores temporales uocamus. Hi enim orationis præsidium gratiæ bonæ & perfectæ actionis amplectentes, & Marthæ fortè acceptantes, uitæ actiuam in sponsam acceperunt, cuius sanctis laboribus, ad diuinam pulchritudinis uisionē, post cursum huius mortalitatis ascendunt. Et quidem cum ueri sint religiosi, uotis ac professione ligati, non sunt aliorum serui, sed fratres amantissimi, qui amatores humilitatis effecti, alijs nunc inseruiunt, ut postea inter primos nobiles, se des acquirant: te uera sine literis sapientes, & sine

scientia

Luca 18.
13.
Luca 7.
38.

Luca 23.
42.

Luca 23.
43.

1. Cor. 15.
33.

Ierem. 14.
19.

Th. à
Cāp. dia-
log. nouis.
c. 4.

Bern. lib.
de ord. ino
uitæ in fi-
ne.

Matt. 20.
28.

scientiarum professione prudentissimi siquidem imitantur Christum præceptorem suum, qui cum maior esset omnibus, tamquam verus, & naturalis filius Dei, non tamen venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis. Ideoque cum filij prælatorum sint, fratres autem presbyterorum, qui illos ad sustinendum onus gubernationis iuuat: istos verò curis exonerant, & in corporis necessitate subueniunt, à nemine sunt contemnendi; sed magna beneuolentiæ & charitatis significatione tractandi. Nam si nemo carnem suam odio habuit (vt ait Paulus) sed nutrit, & fouet eam,] quanto magis isti honorandi sunt, amore amplectendi, officiis, gratitudinèque fouendi, quos non vnitas carnis, sed communio spiritus, quæ strictior est, nobis in eadem vita religiosa cõiunxit: Diligimus manus, quia sunt membra nostra, corporali adhesionè copulata, & cæteris membris vitia, sine quibus, nec nobis ipsis, nec aliis succurrere, neque humanas functiones exercere possemus. Sed isti manus nostræ sunt, nobis eiusdem vocationis vinculo coherentes; nobis adedò vitales, vt sine illis, nec tranquillè orare, nec pacatè legere, nec sine sollicitudinè, aut verbo docere, aut scripto erudire, aut aliis ministeriis proximis iuuare, nec nostris subuenire necessitates valeremus. Ipsi autè religiosi laici suum statum cognoscentes; vocationemque religiosam amantes, non debent more mancipiorum, sed germanorum, seruire: seruiant quidem, nõ vt famuli, sed vt fratres; non vt serui, sed vt sodales: non vt pedissequi, sed vt filij charissimi. Seruiant, non intuitu alicuius mercedis alleceti, non timore prælatorum coacti, sed vt veri religiosi, qui ad perfectionem aspirant diuini amoris obtentu. Seruiant taliter, vt aliis famulando, & in infimis obsequiis ministrando, à suis affectibus liberatem, & fastigium sanctitatis acquirant. Seruiant denique fratribus, in quibus Christum debent inspicere, ea reuerentia, eo charitatis affectu, quo Christo ac discipulis eius Martha seruiuit.

Hos ergo fratres nostros dilectissimos instruamus, quo pacto in vita actiua se debeant occupare, & vt religiosos decet, in humilibus seruitiis laborare, quo aliis ministrantes, sibi ipsis in omni genere virtutum proficiant. Illud autem primò statuendum est, quæ propriæ emendationis exercitia in tyrociniò didicerunt, nulla ratione debere illos prætermittere. Sunt enim illa omnis vitæ spiritualis fudamina, & vniuersæ perfectionis inuenta, quibus sublatis, religiosæ vitæ structura procumbet. Qui ex vna scientia ad aliam addiscendam transeunt, non id faciunt, vt priorem dediscant, sed vt conseruent, & posterioris adiectione perficiant. Qui iactis domus fundamentis parietes ædificat, non id agit, vt fundameta tollat, sed vt ipsa in suo loco manentia, reliquas partes ædificij sustineant. Qui pulchram imaginem delineare contendit, quæ hesternò die laborando depinxit, hodie non delet, sed nouo labore ad finem vsque perducit. Ita religiosi, tam laici quam alij, qui ad sacerdotium sunt prouehendi, cum à quiete tyrociniij exeunt, & alia ministeria perfectiorum curanda suscipiunt, non debent studium mortificationis, aut sollicitudinem augedæ virtutis postmittere, sed his officiis ministeriisque perficere. Nullius enim momenti erit aliis prodesse, si sibi ipsis obsint, aut cœnobij substantiam custodire, si se ipsos, opes sanè monasterij prægiosiores, dilapident, atque consumant. Quid prodest homini, si mundum vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? Aut quàm dabit homo commutationem pro anima sua?] Hæc itaque cura perfectionis propriæ semper maneat: Illam omnes religiosi, sed præcipuè temporalium rerum administri, seruare,

Matt. 16.
16.

A & promouere curent: quia quo magis auerta est eorum occupatio à rebus diuinis, eo maiorem solidæ virtutis curam exigit, maiorem in via spiritus diligentiam requirit. Deinde illud omnino curandum, vt quæ in bona & perfecta actione supra diximus esse seruanda, ea à suis laboribus abesse non sinant. Eas actiones exercent, quæ statui religiosorum conueniunt, proficuas monasterio, fructuosas fratribus, nõ inuitiles, neque curiosas. Ac nimirum, eæ videtur esse (inquit Basilius) quæcumque vitæ nostræ, & quietem & tranquillitatem conseruent, quarum scilicet, neque materia magno labore queratur, neque opera magna sollicitudine diuendantur, similiterque illæ omnes, per quas, neque virorum, neque mulierum indecoros congressus nobis conciliat. Si suas actiones obedientia nõ præscripserit, illud temporis spatium illis concedant, quod satis sit, reliquæ orationi & lectioni tribuant. Locum laboris & operis, locum solatij & colloquiorum non faciant, sed in silentio & spe suæ actionis pensum exoluant: illud Pauli memoria retinentes: His, qui eiu(modi sunt, denunciamus, & obsecramus in Domino Iesu Christo, vt cum silentio operantes, suum panem manducant.] Non querant ad suum munus exercendum inepta seculariũ auxilia, non vanos eorũ fauores, & intercessiones aucupentur: neque illud temporale emolumentum querant, quod non gratia religionis, & intuitu paupertatis tribuitur Deo in eo quod faciunt, & nõ hominibus placere cupiant, quia ab istis sæpè ingratitudinem, & suorum operum contemptum, à Domino verò æternam mercedem accipient. In actionibus modum seruent: neque negligenter, neque nimis sollicitè illas præstando; nam negligentia tristitiam: sollicitudo verò nimia animi distentionem inducit. Nec non & temporis opportunitatem captes, nam tempora orationi destinata, actioni, sine aperta necessitate concedere, mentis valdè negligentis, & propriam salutem spernentis, indicium est. Denique vniuersa alia in externis operibus habere procurent quæ ea meritoria efficiunt, atque perfecta.

Sed, vt quibusdam magis specialibus erudiantur, sui status documentis, omninò sibi persuadere debent, se in sanctis religionibus in locum diaconorum Collegij Apostolici fuisse susceptos. Sicut enim Apostoli corporalium necessitatũ sollicitudine prægruari, conuocata Discipulorum multitudine, dixerunt: Non est equum, nos derelinquere verbum Dei cogitandum vtrique, & prædicandum (& ministrare mels] eosque ad eligendos Diaconos, ac rerum temporalium administratores instituendos, compulerunt: Ita patres nostri, ac vitæ religiosæ fudatores, aliquos suæ vitæ socios admittendos iudicant, quos, vt ipsi contemplationi, & verbo doctrinæ vacarent, huiusmodi curæ exteriorum præficerent. Hi autem sũt religiosi laici, aut temporales coadiutores, & sanè hiquales esse debeant, ex illo loco Actuum Apostolorum facile valemus deducere. Considerate fratres viros ex vobis (dixerunt Apostoli) boni testimonij septem, plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus: Nos verò, orationi, & ministerio verbis instantes erimus.] Isterum electionem (vt notauit Chrysostomus) turbæ fratrum faciendam relinquunt: Quoniam ipsi non constituent super hoc ministeriũ nisi viros mites, humiles, amabiles, qui curent omnibus inseruire, vniuersis enim magna charitate subuenire. Quare tales à fratrum congregatione eligi, nõ est aliud, quam ab omnibus cœnobij religiosi, suæ modestiæ ac mansuetudinis testificationem accipere. Sed quæ dona in religiosi laicis desiderantur? Primò quidem, vt sint viri. Cõsi-

Basil. reg.
38. suis
disp.2. 7. hysal.
3. 1. 2.Act. 6.
2.Act. 6.
3. & 4.Chryf.
hom. 4. in
Actu.

derate (inquiunt) viros ex vobis.] Nomen, vir (vt iterum diximus) nomē dignitatis est, hominis stabilitatem, fortitudinem, & cōstantiam in rebus agendis significans. Vocantur igitur fratres isti viri, quoniam ipsorū est gnauiter, & diligenter res sibi commissas tractare, & cū ingenti animi deuotione omnes labores, & officia monasterij suscipere. Tales erant illi, quos merito laudat Ioannes Cassianus, in cœnobiiis Mesopotamiæ obsequiis fratrum singulis hebdomadis mancipati. Quæ explere (inquit) tanta deuotione & humilitate depererant, quāta nullus seruorum durissimo domino ac præpotenti exhibet famulatum: ita vt, ne illis quidem solis contenti, obsequiis quæ canonico iure soluuntur, etiam nocte surgentes, illos, quos specialiter hæc manet cura, studio suo releuent, & ea, quæ ab ipsis perficienda sunt, furtim præuenientes implere contendant.] Isti re vera erāt viri, qui non statim lassabantur, nec leuissimo labore distenti, more puerorum fatigationem simulabant; sed tanquam strenui operarij, pondus diei, & ætus sustinebant.

Item, vt sint boni testimonij,] hoc est, bonæ opinionis inter fratres, ab eis consequenter exigitur. Hanc bonam opinionem, & apud domesticos, & apud externos habeant necesse est. Apud domesticos, tum acquirunt, tum conseruabunt, si fideliter, & prout cuiq; opus fuerit, res monasterij distribuerint, neque supra quā necessarium sit, alicui, ob amicitiam erogantes; neque ab aliquo, quod opus habet, auersionis aut odij causa detrahentes. Ex quo eorum quisque in extremo die audiet illud Saluatoris elogium; Fidelis seruus, & prudens, quē constituit Dominus super familiam suam.] Quanti momenti sit hæc obsequiorum æqualitas, magnus Basilius edoceat. Diligenter illud circumspectant (ait, coadiutores alloquens) vt faciles se ad omnes, & clementes præbeant, neque suspicionem alicui aliquam commoueant, maioris alicuius erga aliquos beneuolentiæ, inclinationis uel animi propensioris: quemadmodum Apostolus præcipit, sic dicens: Nihil faciens in alteram partem declinando,] aut contra similitatis, contentiosisque: quod vitium tamquā ab omnibus Christianis alienum, idem Apostolus reicit, cū dicit: Si quis videtur inter vos contentiosus esse, nos talem consuetudinem nō habemus, neque Ecclesia Dei,] vt ob eam causam, iis, quibus infensiores sint, necessarias res subtrahant, & illis, in quos animi inclinatione propendeant, amplius, quā quantum sit opus, largiantur, quorū alterum fraternalis est odij, alterum amoris vitiosus, quod est vitium maximè infame.] Ne itaque bonum testimonium suū inter fratres dilapident, & tam graue crimen, aut odij, aut infamiam amoris incurrant; in omnibus Christū agnoscant, propter illum fratribus obsequantur: & hac ratione unicuique tribuent proportionem quadā æqualem obsequij mensuram. Apud externos verò erunt quoque huius bonæ opinionis participes, si non secularia, non vana, aut incipiāt, aut ab aliis cæpta cōtinuent alloquia: si illos modestè ad bonam frugem exhortentur, aut certè negotia sibi commissā pro vsu monasterij breuiter tractent: si ad mensam inuitati, humiliter conuiuū reculent, vel si id fieri non possit, nec sordidi sint, nec voraces, nec vina pretiosa, nec epulas exquisitas querant, sed cibis communibus temperatè sumptis, corporali necessitati prouideāt. Atque in ista occasione, in qua maius est offensiois propriæ & alienæ periculum, illud Ecclesiastici sibi dictum existiment: Ne comprimatis in conuiuio,] Intellige, quæ sūt proximi tui, ex te ipso. Vtere quasi homo his quæ tibi apponuntur, ne cū manducas

Cassian. lib. 4. de institut. c. 19.

Matt. 24. 45.

Basil. reg. 34. suis asp.

1. Timot. 5. 21.

1. Cor. 11. 16.

Eccles. 31. 17. &c.

A multum, odio habeatis. Cella prior causa disciplinae, & noli nimis esse, ne forte offendas. Et si in medio multorum sedisti, prior illis ne extendas manum tuam, nec prius potas bibere.] Si denique apud seculares, vt religiosi, non vt aulici uiuant, quæ modestiæ, quæ humilitatis, quæ mansuetudinis, quæ cultus diuini sunt, nullatenus prætermittant.

Præterea, quod sint pleni Spiritu sancto Apostoli ab istis requirunt. Erūt autem Spiritu sancto repleti, si in obsequiis temporalibus animæ quarant puritatem, & in ministerio corporis, perfectionem sui spiritus concupiscant. Sic enim veri religiosi, sancti mirum, modesti, & humiles effecti, digni erunt, quos Spiritus diuinus inhabitet. Spiritus enim sanctus disciplina effugiet fictū, & auferet se a cogitationibus quæ sunt sine intellectu.] Nullus, quantumuis occupatus, ab isto desiderio querendæ sanctitatis excipitur. Hæc quippe generalis est regula (inquit Dionysius) quod omnia exteriora, & corporalia, ad spiritalia & interiora sunt ordinanda, sicut media referuntur in finem.] Spiritus hic diuinus illos replens, qui magister est ordinis, & origo puritatis, docebit huiusmodi viros rectam intentionem tenere, & ordinem in agendis seruare. Quæ duo (auctore Bernardo) valde sunt in vita actiua laborantibus necessaria. Sed & ipsam quoque Martham (ait) admonitam esse necesse est, id maximè queri inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Erit autem fidelis, si neque quæ sua sunt, querat, sed quæ Iesu Christi, vt sit intentio pura, nec suā faciat, sed Domini voluntatem, vt sit actio ordinata. Sunt enim, quorum non simplex est oculus, & recipiūt mercedem suam. Sunt, qui feruntur propriis motibus animorum, & contaminata sunt vniuersa, quæ offerunt, quippe cū voluntates eorum inueniantur in eis.] Tunc ergo hoc sancto hospite repletur, & habet aliquod huius habitacionis indicium, cū rectè intentionis, & quietis, ac ordinis in suis laboribus participes effecti, mētis perfectionem non obliuiscuntur, sed eius causa laborū pensum absoluunt. Tandē petunt ad religiosos laicis, quod sint pleni sapientia. Mirum profectò, & ad modum cōsideratione dignū, ab illis, quibus scientiarum studium interdicitur, sapientiam, imò & plenitudinem sapientiæ requiri. Sed non ea sapientia requiritur, quam in voluminibus legimus, & nō semel tamquam æsonans, & cymbalum tinniens effundimus, sed quæ Spiritus sanctus illos docet, scilicet, rerum agendarum industria. Oportet eos non esse vecordes, neque ignauos, sed habere solemnter diligentiam, discretamque prudentiam, qua munera sibi commissā, nō utcumque, sed cumulatè, & ex toto perficiāt. Oportet eos pro sapientiā sibi data sic exteriora ab obedientia iniuncta disponere, vt nec otio torpeant, nec vim mētis immoderatis laboribus frangant. Otiosi enim mens (inquit Laurentius Iustinianus) nihil aliud cogitare solent quā de escis, aut de vêtre, & qui otiosa quiete perfruitur, nisi spiritualiter vixerit, more pecudum vitā ducit. At cōtrā, dum plus iusto caro per inordinatos labores affligitur, etiam ab exercitatione boni operis eneuatur, vt ad orationem, vel lectionem non sufficiat, dum in cœdia vitiōrū quisque in se funditus per labores suffocare festinat. Hoc ergo proprium huius sapientiæ est (quæ nō multa loquitur, sed multa peragit) & industrie sibi demandata perficere, & inter otium, nimiumque laborem, medium discretæ exercitacionis assumere. Nemo autem sibi facillè persuadeat obedientiæ onera hoc medium excedere, quia sæpe caro sui amatitix immoderata, & feruoris obliuata, imprudentem laborē reputat, quem prælatus maiori dis-

Sapient. 15.

Dionys. de laude v. c. solit. art. 25.

Bern. ser. 3. de ascamp.

Infin. in ligno v. tract. de sobr. c. 4.

cretionem illustratus, moderatum, & virtutibus subditi accommodatum, considerat.

Magna profectò sunt hæc, quæ in fratribus coadiutoribus exoptantur. Ex quo se non tam religiosorum famulos, quam veros religiosos esse, & homines Deo consecratos, intelligent. Sed mirum est valde, quòd multitudo fidelium tantis virtutibus non impletur, imò præter istas aliam efflagitat. Vnde Lucas subdit, Et elegerunt Stephanum, virum plenum fide, & Spiritu sancto, & Philippum, & Prochorum, & alios, quos statuerunt ante conspectum Apostolorum, ut eis manus imponerent.] Ultra prædictas qualitates, fidem, hoc est, fidelitatem, exposcunt, quòd isti fratres sibi persuadeant, se fidelissimos, tum in rebus administrandis, tum in cura ædificationis, ac in desiderio boni spiritualis religionis esse debere. Hoc verò non erit ipsis difficile, si Basilij animaduertant documentum; se in huiusmodi muneribus, non tam hominibus quam Domino ministrare. Sanè cum ij (ait) tū reliqui omnes, qui aliud quoduis vile ac

necessarium fratribus munus ministrat, eiusmodi & animum adhibere, & studium debent, proinde, quasi non hominibus, sed Domino ipsi ministrent, qui pro incredibili sua bonitate, delata iis qui se ipsi consecrarunt, honorem ac studium perinde habet, quasi ea ipse accepisset, & pro his cælestis se regni hæreditatem daturum promittit.] Itaque frater licet te prælatus auctoritate præcellat, literatus scientia, prædicator arte bene apteque dicendi, sacerdos ordine ac dignitate sacerdotali, sed fidelitate in tuam religionem, nemo te superet. Sciant vniuersi religiosi te zelare pro domo Dei, & pro disciplina religiosa seruanda: nulli incommodum timere, nullius vultum aut auctoritatem vereri. Sciat, qui domo exit vel ad confessiones audiendas; vel ad personas visendas, vel ad quoduis opus peragendum, socium secum habere zelatorem boni communis, qui nihil non occultandum celabit, qui nullis minis, vel precibus aliquid contrarium statui religioso fieri permittet.



PARS QUARTA

De substantia, sine, & officio vitæ contemplatiuæ.

VITAE contemplatiuæ tractatio, omnia quæ ad studium contemplationis pertinent videtur exigere, Sed aliud est Speculando eius naturam inquirere, aliud verò mentem ad contemplationem dirigendo, huius varias species edicere, & rationem contemplandi, & fructum ex contemplatis eliciendi demonstrare. Illud nunc nos tractare volumus, quod proprium est huius, quam scribimus, disputationis: istud autem in postremam istius operis partem, ubi propriam habet sedem, reuicemus.

De duplici vita contemplatiua, & de qua illarum in sequentibus tractandum.

CAPVT XXVII

VITA actiua ad vitam contemplatiuam transitu facimus, quæ inter partes spiritualis vitæ, secundum, ac veluti mediū locum obtinet. Animus enim tanto conatu ab amore creaturarum auulsus, & tot laboribus sanctarum actionū purgatus, quid aliud cupit nisi Deum suum, oculo supernaturalis luminis, intueri, & mysteria cælestia contemplari: Hoc autē præstat vitæ spiritualis ea pars, quæ vocatur contemplatiua; cuius munus est (vt statim dicemus) mentē rebus terrenis & curis sæculi huius exemptā, choris Angelorum inferre, & vsq; in Domini solium penetrare. Istius vitæ contemplatiuæ duos fuisse, atque ex parte esse modos, siue rationes, nemo est qui ambigat. Altera est illorum, qui eremi secreta petentes, sine prælato, sine eiusdem propositi sociis, imò & sine aliquo teste, in antris atq; speluncis delitescentes, assiduæ meditationi & cōtemplationi vacabant. Quales fuerunt, Papli, Antonij, Hilariones, Pachomij, Macharij, Arsenij, Simeones, & alij quā plurimi, qui Spiritu sãcto interius mouēte, hoc institutū, ac vitæ genus aggressi sunt. A quo, nec fragilis mulierū sexus abhorruit, cum legamus Mariā Ægyptiacam, Pelagiam, Theoctistē, & alias nō paucas feminas in eremi abdita secessisse, & fo-

las sine comite, cateruas dæmonum expugnasse.

Alteri, illorum, qui in cœnobiiis, sub cura prælati, consortioque multorum, in cellulis suis commorantes, & ab omnibus externis occupationibus sequestrati, oratione & contemplatione pascuntur. Cuiusmodi fuerunt Basilij, Benedicti, Brunones, Bernardi, Hieronymi, Augustini, & vniuersi, qui istorū genus vitæ sequentes, vitā quietam, ac omnibus mudi curis exolutam, aut coluerunt, aut colunt. Quam viuendi rationem vniuersæ religiose scemina, tamquam faciliorem, & muliebri fragilitati aptiorem, nostris temporibus professæ sunt. Illam priorem viuēdi rationem, anachoreticam, hanc verò posteriorem cœnobiticam, vocauit antiquitas, eis ab ipso instituto appellationem tribuens. Nam Anachoreta, illū qui ab aliis secedit, cœnobita verò eū, qui in monasterio viuit, designat.

Vita contemplatiua, quæ in solitudine sine prælato, sine socio, & sine teste transigitur, paucissimorum est, & magnis periculis, atque incommodis nō caret. Si enim aliquibus cōgruit, illi profectò sunt, qui diu in cœnobiiis versati, & in omni genere mortificationis exercitati, ac vniuersis instructi virtutibus, inspirante Deo, & prælato annuente, ad eremum confugiunt, vt in carne mortali Angelorum vitam imitentur. Sicut autem pauci admodum sunt, qui ad hanc mortificationis, ac omnium virtutum abolutionem perueniant, ita multi esse non possunt, qui ad hoc vitæ genus amplectendum inueniantur idonei. Prorsus paucorum est (inquit Beatus Laurentius Iustinianus qui humano destituti solatio, quoad vixerint, lauda-

Laurent.
Iustin. lib.
de vit.
solu.

biliter